NAZ.
le III
IX
5

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

XXXIX
D
115
NAPOLI

Poeti Latini

~~Scant. 23 ... ...~~

Scant. M. N. 2. lib. 29 inf.

LVCTVS IVVENTVTIS ACADEMIÆ MVSSIPONTANÆ.

In funere Sereniſs. C*AROLI III.* *Calab. Lothar. Barri Ducis, &c Patriæ, & litterarum Parentis Opt.*



MVSSIPONTI,
Apud Melchiorem Bernardum,
Sereniſs. Lothar. Ducis, &
Vniuerſitatis Typog.
1608.

ARGVMENTVM.

EXTINCTVM Carolum Lotharingi deflent. Extincti membra Nymphæ vndis rigantes debita efferunt laude. In vultu prædicat elegantiam Thetis: In lacertis robur ac firmitudinem Nereis. In corpore ſtatum erectum ac regium Ino. Quas illæ laudes (pro eo ac verè ſunt) ratæ eius impares eſſe dignitati ac merito, alio vim argutæ vocis transferunt ac in manibus reuerentur magnificentiam, in oris conformatione comitatẽ, in oculis aduerſus omnes amorem, in pedibus ad opem afflictis ferendam celeritatem; in canitie animi ac morum, maturitatem, in pectoris grandæui ſedatione diuinam illam ſapientiam, quæ vt caput in corporis membra, ſic in omnes Auſtraſiæ partes motum ac vigorem 60. totos annos infudit.

Querentibus Nymphis interueniunt Dryades, Nomia, Diana, Proſpelæa, Aphidante ad loculi ſtructuram intentæ, ad quam coëunt Cupreſſus, Cedrus, Abies, Quercus totidem virtutũ quibus Carolus olim excelluit indices. Et quidem imperij Lotharingici firmitatem, nullis cum Deo aduerſæ ſortis flatibus euertendã vnquam, ſignificãt quer-

no robore, quod duratur vndis & humore: Cupreſſo odorata ſcilicet arbore, gratiſſimi illius odoris ſuauitàtem, quem longè latéque fudit, ſternenda in cœlũ via, quà monitis, quà exemplo obnoxijs ſibi gẽtibus. Cedro immortalitatem nominis & gloriæ, quæ quò magis premetur ab inuidis, hoc vt abies cõtra molem oneris firmabit ipſa ſeſe validius.

In loculum Flora congerit hyſſopũ, Naïs apium, pallentéſque violas, æquum eſſe quæque dictitantes, vt qui hyſſopo herbæ in ſpeciem inutili, reipſa tamen ſalutari, animi demiſſione extitit quam ſimillimus, honore ac copia narium à ſe colatur, violis præſertim, quod vt illæ gratiorem odoris afflant auram, quo ſunt allijs propiores, ita & Carolus in vicinia hæreticorum vndequaque frementium, illuſtriora dederit ſuæ virtutis ac fidei documenta. Quo in ſolemni, quia perſeuerantem conſtantiam adhibuit, extremum ad vſque vitæ ſpiritum, Apium addunt, victoriæ de Dęmone cõſecutæ ſignum.

Cęnotaphium inſtruunt Oreades, Meliſſa, Erato, Phigalia. In imo marmor inſternũt, cum Adamante, Iaſpidem ad latera figunt, vtrique Cippũ, ſuperponũt Chryſolithum. Quibus illę lapidibus, virtutes eas exprimunt quibus cum omni conſequente ætate, gloria Caroli propagetur vtilius quam ſepulchri inani pompa. Marmore quidem, ſingularem eius patientiam, quæ nullo incurrentium calamitatum ſcalpello incidi potuit. Adamã-

te fortitudinem. Iaſpide omnium in illum gratiam ac amorem. Chryſolitho in Deum, cœliteſq; omnes ardentiſſimam charitatem.

Elatum Angeli ſepeliunt, ſepulti laudes Muſæ cõcinunt. Generis ac familiæ Lotharingicæ ſtemmata extollit Clio. Eius continentiam Erato. In victu modũ Thalia. In aulæ licẽtia laſciuiæ odium, Melpomene. In ſermonis lenitate facilem aditum, Euterpe. Rerum variarum memoriam Polyhymnia. Cœleſtium ſenſum ac intelligentiam Vrania.

Laudato Leſſum ſoluunt Academiæ, Curiæque Sammiellanæ præſides Genij, quibus ſilere iuſſis, ſuccedũt Diui cœlites. Ac verò etiã cœlos intranti Godefridus fidem gratulatur in Lotharingia ſua retentam, quam armis victricibus, in Syriam, Iudæamque, nec ſine labore intulit.

Pacem Renatus quam Caroli morte ad Nanceium, ſuorumque adeo ſanguine ciuium redemit olim.

Stephanus VII. in antiquum ſplendorem ſuis æquè ac Caroli Cardinalis filij fœlicibus auſpicijs reſtitutam Monachorum Caſſinatium antiquam diſciplinam. Demiſſionem animi lectiſſima mulier ac quõdam Auſtraliæ Duciſſa Philippa Gueldriæ.

ACADEMICI
EPICEDION
IN CAROLI III.
MORTEM.

NEc vos ô dilecta mei ſuſpiria cordis
Nuntia fertis opem? nec qui latet abditus, vngue
Ilia vulnifico diuellens noſtra, dolorem
Proÿcitis? coramque oculis datis vda tuendum?
O fera, ſæua, meiſque nimis male grata querelis,
Ante mihi dilecta mei ſuſpiria cordis.
Imprecor: humano ſit vobis amodo nullus
Corde locus, tremulis fertis quos humida ſuccis,
Non oculos, non ora velit ſubiecta lauare,
Quem vel amor liquidũ, fodiunt vel funera mœſtũ
Patria: Turbata vetet inclementia mentis.
Salue mœror, & ex oculis quæ lachryma fœtis

Sphærica, ſolari miſeros non inſcia rumpis,
Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco.
O bene, chara tuos petij quod lachryma rores,
Namque fluo, iamq; in latices, iam ſoluor in amnem
O bone fons, bonæ aquæ, bone ros increſcito, tuque
Creſce dolor, dilecte dolor, turgeſcite ocelli,
Inque reluctantes ſoliti noua pocula roris
Contorquete genas, madeant, vnáque tepeſcant
Labra, nec antiquo facies pudibunda decore
Rideat, aut veteres diffundat in ora rubores
Dum tua fata, tuos trepido dum Carole caſus
Flebilis ore gemo (quanquam ô!) ſed dicere præſtat
Quidquid ab Iſmarijs Phœbus mihi collibus ante
Annuerat, quicquid lucis pia turba ſorores
Corycijs, (heu me) perijt, nec Cyrrha volenti
Dextra modo; nec lingua mihi vocalis vt ante eſt,
Hoc ſolum, lugere iuuat, tua funera mœſtis
Mœſta ſonis vrgere, tuæ (quæ copia fandi
Reſtat adhuc miſero ieiuna) expromere laudi.
Nam tibi quando parem, quando virtute priorem
Secla tulere ducem? Vix primi in luminis auras
Fœlix fœlici penetraras omine; patri

Cum fera mors dextram inyciens caligine cœca
Obruit Auſtraſij rutilantia ſydera cœli.
Quis te vicinis puerum tum crederet armis?
Ac tua multiſono non euertenda furori
Oppida? ſed fruſtra rabies fremit horrida, Diuûm
Si fauor, & comitans indulget gratia. Grates
Inde tui meritas fœcundo pectore, Diuis
Auſtraſij, ſocioque ferunt gens fœdere tecum
Vincta, preces addunt, diri ne flamine Cauri,
Lampas oborta ſuis terris, extincta periret.
Et iam prima puer iucunda munera vitæ,
Ac dulces annos libaras dulcis, amico
Exceptum gremio cum te bona Gallia fouit:
Gallia tot Diuis quondam dominata Tyrannis:
Gallia ſyderei factis late æmula regni:
Quid memorem hic annos ſupra tẽpuſque, vigorem
Ingeny, placidæ ſedatáque ſecla iuuentæ?
Aut oris quæ forma foret? quæ cura pudoris?
Æqui quantus amor, roſeis quam multa loquelis
Gratia? Te Tyrio languentia ſcilicet oſtro
Strata? vel humanas quæ oblimant otia mentes
Implicitum tenuere? premant hæc vulnera, vitæ

Qui diuerſa leues à te compendia quærent
Carole, namque tibi generis mens conſcia, iam tum
Regifici ſublime volans ſuper ardua cœli
Ibat, & æthereis circum flammata fauillis:
Ludicra, delicias, ludos, puerilia, ſannas;
Vt non æqua ſuis temnebat amoribus. Hic te
Quando luxuries colubros incincta virentes
Quando furor, quando cupidæ malus ambitus aulæ
Deuia per culpis vnquam loca detulit? Æuo
Obſtabat fragili probitas maturior, & quæ
Obſcœnas cohibet collecta modeſtia voces.
Nec tamen arte tuis vlla vel laude coæuis
Impar cedis, vbi curis maioribus ætas
Firma parem fecit, membriſque ad grandia vires
Addidit, arenti quis enim ſuper aggere campi
Indomitos cohibere feros? quis figere ceruos
Doctior? aut belli ſimulachra ciere ſub armis?
Imbelli te non parma calydonia matris
Prælia ſignatus iuuenis, nec hector Eoa
Iaſpide ouãs, non ipſe fremẽs turmale, Phrygumq́
Exanimata ſequens ad muros agmina Achilles:
Aut qui Biſtonio Capaneus, ferus enſe cohortes

Diducebat agens, volucri nunc vulnera plumbo
Horrida, nunc ſolitum dextra geſtamen, obeſi
Montis ſaxa rotans, tenues criſpata per auras
Viciſſet, tecum iaculo, leuibuſque ſagittis,
Seu mallet celeri curſu contendere, eodem
Seu foret ardor, equum gyro retinere, lupatis
Indocilem madidis frænarier ora, recurſus
Nam quis te melior vacui circa æquora campi
Flectere? quis Thraces curſu præuertere ventum
Cornipedes, preſſis potior compeſcere habenis?
Auritoſque ſequi lepores, ferroque leones
Cominus, aut longè virga transfigere tigres?
O quoties mirata manum, mirata ſagittam
Pallas, & excuſſo leuis in ſublime lacerto
Inuidit? vincique tuis ſe flammea telis
Indoluit? quoties Lycio Gortynia cornu
Spicula? fœlices arcus, fœlicia nerui
Robora, nec faciles mentiri vulnera pinus
Laudauit, dextraque tibi titubante, citatis
Sauromatas, Parthoſque pares tulit eſſe pharetris!
Et iam bis decies completis menſibus orbem
Aſtra ſuum, Phœbuſque ſuum decurrerat, ætas

Cum matura thoris, & pronuba flamma, pudorem
Sollicitant; quaeruntque pari de gente maritam,
Quae foecunda tibi decimo daret eſſe parentem
Menſe. Nec ignoto terras luſtrare calentes,
Aut ſola barbaricis quondam decorata triumphis.
Heſperijs ſola culta viris opus; aequa Dianae
Aequa hebae decus egregium; laus prima ſororum,
Albentes rubicunda genas, rubicundáque vultum
Francigenum de ſtirpe, bonis tibi virgo iugatur
Auſpicijs, virgo pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamus, tantum aurato decus enitet ore!
Iamque dies, alterque dies proceſſerat, hymen
Atque tibi ô hymenaee io hymen hymenaee,
Arguto Nymphae reſonarant pectine, Muſae
Vota patri addiderāt, thalamos ac vincula amantū,
Ne qua dies, meteretque malae mala dextra ſororis,
Cum memor ipſe tui, Lotharus Lotharena reuiſis.
Arua, viàm carpunt vnà probitaſque fideſque,
Atque ſerenatae frontis bona gaudia, fluctus
Et tibi Moſa ſuos ſubmittit lenis, & vndas
Ipſe ſuas, Moſella hilari leuis agmine cogens.
Sola fugam glomerabat iners cultura Deorum;

Os tabo ſuffuſa, genaſque infecta cruore.
Proximus horrenti ſubigens deformia cultu
Corpora (nam riuis flagrantibus atra rubebant
Et circuntexta picei caligine regni)
Diſcordes modulos, & ſingultantia Luther
Ibat verba trahens, & nigram ſulphure pinum,
Corda tumens rabie, torquebat; At illa doloris
Atque ictus ignara, leues diuerberat auras
Hoc tantum, fuſa facies ſuper ora ruborem
Deiectaque genas, (quæ copia cuique viarum eſt)
Inde loco remouent ſeſe, lutulenta libido
Ira dehinc, animique furor veſanus, eodem
Cogitur ire gradu: bacchari ſueta per arces
Sueta per armatas Regina audacia turmas.
Iamque ter octonos exactis menſibus orbes,
Flammeus igniuomo ſol circumuoluerat axe:
Cum pacem veſana tuis extrudit ab oris
Hæreſis, horrentes in vulnera ſæua ſariſſas:
Quique ſitu erucrant curui ſola feſſa ligones
Flammat, & admoto ſubigit iuueneſcere ſaxo:
Nec tibi tum tremebunda timor rapit ilia, nullus
Eſſet vt aduerſus rabidam diſtringere ferrum

Impetus, aut galea crines, & pectora ferro
Claudere, Teutonicis diuiſos ſæua maniplis
Namque vbi mille duces præ ſe rapit, agmina mille
Quæ Francos Lotharoſque tuos furacia, latè
Bacchando, exhauſtos opibus, per inhoſpita ſedem
Figere luſtra, fidem & nemorum tentare latendo
Vi facerent: mora nulla acies præcedis, & iram
Exacuens, turmale fremis, das ſpicula nudis,
Plaudis equos, reprimis calidos, hortatibus imples
Accendiſque nouis, gelida tardante ſenecta
Tardigrados, pugnæ cunctis documenta monendo
Inijcis, ipſe etiam vitæ (ſic viuida virtus
Namque animũ monitis ſubigẽs dux ipſa trahebat)
Prodigus incautuſque tui ruis, omnis & ambas
Conſumis ſine more manus. Quid prælia vanus,
Et ſpolia? Auſtraſijs reiectos vel quid ab agris,
Rumpentes iterum renouatis ad fera bella
Germanos animis? quid tum per inane ruentes
Præpete tecum ala, meritos ad bella furores
Cõmemorem? quid te, capitiſque inſigne, tremẽtem
Ter galeam, volitante iuba nigricante, quid oſtro
Stellantes iucundo humeros? quid tela? quid enſem?

Cui manus ipſa alias fœlici ſydere fœlix
Nubit, & ad litem iubar inſuperabile Phœbi
Aduocat, ac læua reſidentem leniter haſtam:
Haſtam qua cuneos equitum cuneoſque Renatus
Hoſtiles, quondam forti laxauerat auſu
Fortis, & aduerſo terram mordere labello
Fecerat (Atque vtinam.) Sed te fors aſpera porro
Armis implicuit, pacemque exoſa momordit.
Nam quis Stannæi Lotharo ſub ſole labores
Neſcit? & euulſa muros compage Iamæi,
Præcipitante ſuper diſtractos mole? nec iſta
Abnuerit, qui te medijs in millibus heros
Vidit, & exemplo Martem dictiſque cientem.
Nec mora, turritas inter velut aſpera claſſes
Æquora ſpumiferis collidit rupibus Eurus
Protinus irrumpens flammatus ahenea terræ
Fundamenta dabas, contorta euertere ſphæra
Doctus, & euerſis aditum tibi quærere muris.
Nec tamen ingreſſo cædes impune per vrbem
Edere fas, magnáque hominum cum ſtrage reuerti.
Corpora magnanimo ſat erat proſtraſſe Leoni.
Sed temnenda loquor, tua laus, tua gloria, Marte

Expugnata, potens opibus, muriſque, ſituque
Marſala, Mulciberi labor, & tutamen in armis,
Marſala, quam turres cœloque minantia claudũt
Saxa, ſuoque vrbem faciunt molimine firmam,
Et vicina palus ſqualenti fœtida limo.
Nec ſeſe merito ſubducent mœnia laudi
Nanceiana tuæ, quæ ſi nec flamma, nec ætas
Nec potis eſt Mauors, vel edax abolere vetuſtas,
Non tua tam ſtabili Princeps ſolidata coloſſo
Gloria, venturos manabit ad vſque nepotes?
Manabit, nec nos animans dum ſpiritus artus
Intus alet, taciti tua facta, tuaſque prememus
Dotes, expoſitos ſeruato pondere mores,
Queis tua ſi longum potis ô gaudere fuiſſet
Auſtraſia, & longum fœlix, longumque fuiſſet
Inclyta: ſed raperis, nec te tranſcendere metas
Digne tuas, fera mors, mors aſpera, dura, parentem
Sacrilega metuit reſcindere falce. Precantem
O ſi flammiuomis audirent numina cœlis;
Nec te regna Iouis Stygij, nec noſtra tenerent,
Barbara, crudelis, mors improba, ſæua rebellis
Quæ tam luctifica reſecas bona tempora dextra.

Verum

Verùm ô deficio, nec me, ſingultus apertum
Claudens vocis iter, quanquam intercepta profari
Plura ſinit, refouete genas languentis, & heu me:
Nec mora, frigenti comites ſuffundite lympha
Tempora. Ceſſatis? prius ô mihi chara redite
Flumina, perque genas celeri decurrite fluxu,
Qualia vel Progne, vel habet Marathonia virgo,
Vel Priamus, cæſo aut nato Priameia coniux.

ADOLESCENTIS CLASSICI MORTEM CAROLI QVERENTIS.

ELEGEIA.

ERgo nec immitis tibi Carole Parca pepercit?
Ergo etiam ſortes protulit vrna tuas?
Tu prius aurato diademate tempora fulgens,
Torquebas forti ſceptra tremenda manu.
Tu prius ætherea qualis ſedet aureus arce,
Delius auricomâ cum videt ima face,

Talis eras, ſolio cum ſuſpiciendus eburno,
Diuino afflatus numine iura dabas:
Nec tamen immitis tibi Carole Parca pepercit?
Et ſortes etiam protulit vrna tuas?
Tu cum fulmineam quatiebas arduus haſtam,
Martis amor, Marti par, animoq́; Deus.
Qualis ſopitas cauda ſibi ſuſcitat iras,
Funeſtis replens cædibus arua Leo.
Quis tibi Mars? vel par tibi quis cōcurreret hoſpes,
Quis fixo auderet bella ciere pede?
Nec tamen immitis, tibi Carole, Parca pepercit?
Et ſortes etiam protulit vrna tuas?
Tu dubio portus, pelago, tu remigis aura,
Tu caliganti lucida nocte Pharos.
Neſtora non vnquam talem laudaſtis Achiui:
Roma hunc ſuſpiceres, relligioſa Numam
Oris honos ô quantus! Apolline digna putaſſes
Verba, Deo tantum Carole plenus eras.
Nec tamen immitis tibi Carole Parca pepercit?
Et ſortes etiam protulit vrna tuas?
Tu decus Aonidum, tu Palladis vna voluptas,
Tu laus, tu Phœbi laurea ſolus eras.

O quoties pater ipſe tibi comes iuit Apollo?
Curasq́; abſterſit, dum ſua plectra mouet!
O quoties tibi, Pyeridum comitata ſororum
Agmine, tota hilaris VIVE, Minerua dedit!
Nec tamen immitis tibi, Carole, Parca pepercit?
Et ſortes etiam protulit vrna tuas?
Aſt vbi vos Superi (nimis audeo? parcite amori)
Vos vbi quàndo, ſcidit ſtamina pulla ſoror?
O vbi Mars? tua vox ſonitus imitatá tubarum;
In ſeſe Stygias mittere docta manus?
O vbi Phœbe pater, fallentes tempora cantus?
En tuus, ipſe moras dum trahis, exit amor.
Neglexere, nec immitis tibi Parca pepercit
Carole? ſed ſortes protulit vrna tuas.
Huc ô quiſquis ades generoſi Martis alumnus,
Huc ô Pieridum munera quiſquis amâs,
Huc properate, modum lachrymis date, voce que-
Ducite, ſi melior vos Deus aſpiciat. (relas
Heu non immitis, tibi Carole, Parca pepercit
Heu ſortes etiam protulit vrna tuas.
Ceſſiſti terris, cui nos pater optime linquis?
Cui nos committis Carole paſtor oues?

Cum clypeis, clypeos, & pila minantia pilis
Cernemus, nobis Carole dux quis erit?
Cum dubia incertam procerum ſententia mentem
Scindet, quis nobis Carole Neſtor erit?
Cum nos Caſtalidum inuiſent iucunda ſororum
Agmina; quis nobis Carole Phœbus erit?
Quando nec immitis tibi Carole Parca pepercit
Quando etiam ſortes protulit vrna tuas.
Huc ô Terpſichore flauos laniata capillos,
Purpureoq; genas tincta rubore veni.
Occiduo extremum Phœbo, voce accine carmen
Non ſuperet dulci te Philomela ſono.
Heu non immitis tibi Carole Parca pepercit?
Heu etiam ſortes protulit vrna tuas?
Reges ſceptrifero numerabas ſtemmate Princeps,
Sed non & Reges ſubripuêre neci.
Hoſtiles turmas dextro Mauorte fugaras,
Sed non & vires ſubripuere neci.
Heu non immitis tibi Carole Parca pepercit?
Heu etiam ſortes protulit vrna tuas?
Ah nimium dubiæ ludibria vana ſalutis!
Ah nimium infidi ſpes male ſana boni!

Ito ito, æternos ſpera malè credulus annos,
Quiſquis es, & vitæ gaudia blanda tuæ,
Ilicet optata ſinet illachrymabilis orcus,
Pace frui, & vitæ tempora longa dabit.
Si non immitis tibi Carole Parca pepercit;
Si ſortes etiam protulit vrna tuas,
Ito, ito, Aßyrio veſtes vitiare veneno,
Quiſquis es, & ſceptris fidere perge tuis.
Ito, ito, æthereum contingere vertice culmen
Quiſquis es, & ventis ſpes dare perge tuas.
Non auri fulgor, non purpura picta mouebit
Plutonem, aut cæcas in tua fata Deas.
Quando nec immitis tibi Carole Parca pepercit
Quando etiam ſortes protulit vrna tuas.

EIVSDEM NÆNIA.

COnde candentes Elegeia vultus,
Et ſerenato rubicunda ſole,
Ora pullatis tegat vmbra velis
Gaudia tolle.

Tolle fucatos nimium colores,
Quos ceruſſatis dedit arte malis.
Prata, Pimplæo veniens Apollo
Inclyta fonte.
Solue criſpatos gemebunda crines,
Et comas nullo cohibente nodo,
Mæror in celſas, crepitante vento
Circinet auras,
Flebili malas riget vnda nimbo,
Vndique effracto ruat imber amni,
Triſtis humectet madefacta rore,
Palla lacertos.
Flemus, heu flemus, nimium gemendos
Principis caſus, ſimul & fugaces,
Tam cito noſtris abiiſſe ſeclis,
Plangimus horas.
Phœbus vt ſummo radiatus axe,
Fulget auratos iaculatus ignes,
Et vagas noctis, remeante biga
Excutit vmbras.
Ille ſic puro rutilans nitore,
Dum leui vitæ frueretur aura,

Splenduit, ſacræ populo refundens
Lumina flammæ.
Flete tam ſæuos, iuga celſa, manes,
Flete, queis plano ſubigenda tractu,
Arua conceſſit Lotharingiorum
Inclyta Tellus.
Ille nodoſis fera bella vinclis
Strinxit, & ſæui furibunda Martis,
Tela rumpendis dedit apta terris,
Vomere ducto.
Ille rorantes, ſuper arua pacis
Extulit, cœlum veneratus, amnes:
Regnaque infido quatefacta bello,
Fœdere iunxit.
Si minæ ſæui cecidere ferri,
Si tacet ſtridor litui ſtrepentis,
Tuta ſi nullo trepidant per vrbes,
Tecta fragore.
Si manu excuſſit ferus arma miles,
Nec rubet triſti, tepefactà Tellus
Ciuium letho, nec acerba inundant
Rura cruore.

Hoc tuæ totum genio Mineruæ
Carle debemus, tua nos profuſo
Marte, de centum generoſa duxit
Dextra periclis.
Id quod Argiuûm trepidæ phalangi
Extitit ſcuto metuendus Aiax,
Aut coruſcanti violentus haſta,
Phtius Achilles:
Quod ſuæ pugnax fuit Hector vrbi,
Hoc ſuæ prudens fuit ante fata
Patriæ, Carlus, tumidaſque fregit
Militis iras.
Ille inhærenti fuit vnda cymbæ,
Ille languenti fuit aura velo,
Et per vndoſos pelagi frementis,
Anchora fluctus.
Flete qui claro genitore nati
Stirpis antiquæ, veterumque longis
Magna iactatis repetita ſeclis,
Nomina patrum.
Occidit vobis ſubeunte fato,
Principum lumen, cecidit decora

Flamma virtutis,cecidere magni
Culmina regni.

Lugeat magnis operatus aris,
Infula Antiſtes redimitus atra,
Mæreant læto viduata cantu,
Templa per vrbes.

Cultor æterni cecidit Tonantis,
Templa qui Mauro laqueata poſte
Struxit,& muros Phrygio micantes,
Induit oſtro.

En iacet triſti tumulatus vrna
Hæreſiωn vltor ,ſcelerumque vindex,
Fulmen infandæ trepidum caternæ,
Igne triſulco.

Namque Lernæis quoties venenis,
Infero exiuit tumefacta fundo
Hæreſis, Carlus toties tremendo
Fulmine rupit.

Muſſipontanæ dominum camœnæ
Plangite,& mœſtis vlulate plectris,
Tundat exertas lanietque fida
Dextera mammas.

Ille qui vobis helicona finxit,
Qui nouæ vobis habitanda Cyrrhæ,
Hinc & hinc fuſo dedit antra fonte,
Frigidus atra
Morte procumbit, nec auita formæ
Iura, pallentes tenuêre vultus:
Excidit veſtrum decus, ô ſorores,
Veſter Apollo.
Rurſus infandos renouate fletus,
Rurſus obductos geminate queſtus,
Nec vacent vnquam cruciata ſæuo,
Pectora planctu.
Non leue eſt nobis opus ingemendum,
Nec leues cantu querimur ruinas,
Fata dum Carli miſeranda flemus,
Omnia flemus.

SVBDITORVM CAROLI III.
LESSVS.
NANCEIANI.

MEn' ſiccis oculis manere ſolum?
Nec quos pectore fertili dolores

Intus ardor alit, diem videre?
Quamquam ô! ſed morior, meiq́; finem
Ignorant gemitus, nec os loquelam
Vltra reddere, ſpiritu labella
Conſtringente, poteſt. Quouſque rector?
Rector, bella meis moues cruenta
Durus Auſtraſiis? ferox feroci
Telo, te metit annuente, Parca
Rectores etiam meos? reconde
Iam nunc arma, ſatis ſatis furori
Indultum, ſimili perire gratum eſt
Cunctos ſi nece, tela ſume, collum
Prompti porrigimus, nec ire tecum
Noſtri pars melior, nitentiorque
Princeps abnuimus, reſiſtis? iſtum
Qui nunc ex oculis aquoſus imber
Curſu labra rigat fluens perenni,
Saltem ſuſcipe, nec repelle flentem
Durus à tumulo, venire quo ſi
Quærentem annuis, has tibi pupillas,
Hæc ſuſpiria cordis, has vouebo
Rumpentes lachrymas, nec ire porrò

Princeps abnuo, pro labore & æſtu,
Pro regimine, pro ſalute, amatæ
Pro pacis ſtudijs, flagrante cura
Noſtri, pectus, & hanc tibi, tuiſq;
Volens dedico, conſecroque vitam.

BARRENSIS.

ET tu me ergo fugis? ſubisque cœlis?
Nec qui circum habitant ferum ſonantes
Caluinos reputas? nec illa dudum
Quæ venis retinent ſuis venena?
Quæ ni vindice, pronidoque vindex
Cauiſſes oculo. Sacræ quid vltra
Sementis foret (heu) mihi, tuisque
Vrbibus? Stygio fremente circum
Rege. Stellifero beatus orbe
Nec ſi damna vetas, luemq; poſthac
Præuenis meritis, manusq; Diuæ
Diuus robore proximam; querelæ
Ceſſant. Quam cupido legens ocello
Spirantes animæ ſuaue flores
Fœlix ante fui, tuis beatus
Eſſe quam mihi copijs videbar.

Tam nunc vt tenues ſecas volatu
Auras præpete, langueo dolore,
Seu quod durius eſt, acerbiusq́;.

MVSSIPONTANI.

PRoh luctuoſis tempora caſibus
Fœcunda! Non tu curriculum regis
Tam triſtis anni, Sol, habenas
Torua tuas, Libitina tractat,
Illa illa ſtrages edere pertinax,
Totoque nigris orbe iugalibus
Deuecta, conflatum cupreſſo
Cœpit atrox agitare currum.
Quacunque denſum conglomerat gradum,
Lymphata funus, funere conglobans,
Veſtigium impreſſum relinquit,
Sæuitiæ, rigidæque cladis.
Sed non in vllos ſæuit atrocius,
Nullisque terris durior incubat,
Quàm Lottharenæ, ô quàm rigentes
Proruit Auſtraſiæ columnas.
Tutis quietam Pax Lotharingiam
Complexa pennis, ſpicula falcibus

Docebat, & latis acutos,
Vertere vomeribus mucrones.

Tunc fœta doctis artibus ocia
Stabant, Alumnis tunc oleum ſuis
Fundebat, exarmata Pallas,
Caſſide, Gorgoneâque parmâ.
Cum Cardinalis purpureum iubar,
Splendorque Cleri, Carolus occidit,
Ac excidit totius orbis
Auſtraſij, Alſatijque robur.
Hoc fonte clauſo, faucibus aridis
Hiare cœpit plebs pia, venaque
Cœleſtis intercluſa verbi,
Principe diriguit rigente.
Exhauſta fuſis lumina lachrymis,
Vix Cardinalis funera fleuerant,
Cum mox recrudeſcunt dolores,
Et refricat noua cura luctum.
Tu nempe, charum Carole, Carolum
Breui ſecutus tempore, concidis:
Princepsque ſupremus, ſuprema
Fata trahis, traherisque fatis.

Hic inſoleſcis mors, furialibus
Armata telis; hic ſolito furis
Procacior, mundi nouerca,
Exeris hic Libitina vires.
Et terra tanti Principis audeat
Arctare corpus? Carole tam breui
Contractus æqueris ſepulchro?
O tumulum cumulum honorum:
Hoc in ſepulchro ſacra fides iacet,
Et hac in vrna ſpes iacet obruta,
Et charitatis viuus ardor.
O tumulum cumulum honorum!
Seruata cunctis conditur Æquitas,
Hic recta morum temperies latet,
Prudenſque mentis fortitudo.
O tumulum cumulum honorum!
Hic blanda miti pectore lenitas,
Mens æqua ſemper rebus in aſperis,
Omniſq; virtus hic ſepulta eſt,
O tumulum cumulum honorum!
Sed cum hoc ſepulchrum tot bona conterat,
Simulque nobis tot mala procreet,

Maiore forſan iure dicam,
O tumulum, cumulum malorum!

SAMMIELLANI IN PARCAS.

Dicite, de vobis tantum meruiſſe quid aulæ,
Aula meæ potuit nobilis Auſtraſiæ?
Aula ſuum, quæ clara Ducem diſcordibus vrget
Vocibus abſumptum, (proh dolor) ante diem.
Aula, pari, primis domibus, par ſtemmate, Francis
Æqua, prior Bauaris, æqua priorq́ Italis.
Ah ſæuæ, immites, ah diro iure ſorores!
Quæ metitis rapida tam malè ſæcla manu.
Inuiſæ nimium Dominæ, nimiumq́ feroces,
Diſperdant iaculis vos mala cuncta ſuis.
Vos fugiant omnes per regna ſilentia Manes,
Pallenti Cereris, vos fuget orbe gener.
Figere nempe? manuq́ fera contundere pectus?
Quo penetrare Stygis non potuere Dij?

SANNICOLAITÆ.

Ite meæ lachrymæ, meriti procul ite dolores,
Ite, valete, malos ite ſubite rogos.
Quãdo Deũ, nec quæ Parcæ nent fila, morari
Fas fuit, igniuomos ite ſubite rogos.

Nam pacare Duci vobis bona numina noſtro
Si vetitum, quid vos hic morer? ite procul.
Ite malos penetrate rogos, ſuſpiria porrò
Nulla volo, madidas imbre rigante genas.
Quin vos, quin potius lachrymarũ accedite fontes,
Quin vos, quin lachrymis ora tumete meis.
O & perpetuò noſtras memorate ruinas,
Rore rigate genas, rore rigate ſinus.
Rore, ſuis, Parcas qui mergat limpidus vndis,
Auſtraſiæ, immites funera ne geminent.

PRÆCIPVARVM CAROLI DITIONVM LACHRYMAE.

HIEROSOLYMÆ.

TV prius emoreris, quàm dem tibi Carle coronam,
Quæque per innumeros, ſceptra mereris (anos.
O quoties volui tibi debita regna referre,
Has ſibi ne dirus Turca teneret opes.
Macte tamen, Princeps, terreſtrem Turca coronã,
Sed non cœleſtem tollere Turca poteſt.

SICILIÆ.

Caudia quanta mei veteres peperere Tyrãni,
Queis dabat extremũ Parca benigna diẽ:
Dura mihi tantum pariunt tua fata dolorem,
Cum video Dominum te cecidiſſe meum.
Cur ita? quantùm iſti truculenti corde fuerunt,
Pectore tu tantum, Carole, mitis eras.

CALABRIÆ.

ILla ego ſum dulci fœcunda Calabria melle,
Dum Carlo incolumi vita ſuperſtes erat.
Quidquid enim mihi plena dabant aluearia mellis,
Huius in Ambroſio Principis ore fuit.
Nonne ergo infœlix ego ſum, cui Parca, doloſus
Non ſecus ac fucus, nunc mea mella rapit.

GVELDRIÆ.

OStendunt geminos inſignia noſtra leones,
Auratus prior eſt, poſteriorque niger.
Carole, at vt ſuperat Leo bruta, aurumq; metalla.
Sic quem non poſſes vincere nullus erat.
Ergo cum rigidâ tollaris, Carole, Parcâ,
Atque niger ſoleat luctibus eſſe color.

Auratum tollant inſignia noſtra Leonem,
Nam mihi nunc ſolus debet adeſſe niger.

AVSTRASIÆ.

ERgo hic reſtabat de tot mihi caſibus vnus?
Quaq́ prius ſtabam parte dolenda fui?
Sic mea non vno meruerunt flumine plecti
Crimina? ſic luctus non ſatis vnus erat?
Sic vbi præcipites agitarunt æquora venti,
Aucta nouis ſæuit fluctibus vnda prior?
Scilicet, iſta prius, cœlo monſtrante, Cometes,
Venturi dederat, præſcia ſigna mali.
O mors, ô duræ ſæua inclementia ſortis,
O fata in noſtris ingenioſa malis.
Siccine vtroq́ diu fœlix ab vtroque viciſſim,
Heu nimium infœlix Principe dicar ego?
Nempe aliquod noſtris rebus malè numen amicum
Inuidet, & lætos non ſinit eſſe diu:
Chare pater, patriæ tecum ſolatia noſtra,
Tecum amor, atq́ vno vita ſepulta die eſt.
Quod licet, officio te proſequar, irrita quando
In tenues ventos vota precantis eunt.
Noſtræ te lachrymæ, te triſtis Nænia paſſim
Perſtrepet, & rauco tinnulus ære fragor.

Ipſi etiam montes, ipſa hæc arentia mœrent
Prata, nec eſt ſyluis qui fuit ante decor.
Quin etiam rapido quondam meus amne Moſella
Sentit, & adſtrictis pigrior exit aquis.
Nec tua te tantum Lotharis mœrebit ademptum,
Auſpicijs Lotharū terra beata tuis.
Quâ Sol Eoo ſe tollit ab æquore; quâque
Heſperio reduces gurgite mergit equos.
Te te Indi, te Bactra gement, te fortis Iberus,
Et tu quæ gemino terra ſub axe riges.
Itala te tellus, te diuitis accola Rheni
Planget, & effuſis Gallia mœſta comis.
Gallia præcipuè, quæ te primùm hoſpite fœlix,
Excepit tenero mollia membra ſinu.
O quoties pro te Regum mitiſſimus, illic
Non ementito proluet imbre genas.
Ille tibi exequias, & inanis iuſta ſepulchri
Reddet; & ante aras Regia dona feret.
Et ſua plorantes cumulabant flumina Nymphæ,
Hortorum ac nemorum munera grata Deæ.
Eia age iā virides properāt procul æquore, ſupplex
Vota dabo placidis, vt tua membra lauent.

AVSTRASIA AD NYMPHAS.

NAm qui vos fontes habuere, aut flumina Nymphæ?
Aut quibus Oceani delituiſtis aquis?
Auſtraſidum immiti dum ceſſit gloria fato,
Et lucem tellus ſenſit abeſſe ſuam.
Dum ſua concutiens nutanti pondere mundus,
Sydera vix trepidos iuſſit obire choros.
Veſtráne vel tantis hominum mens dura querelis,
Vel Superum, Diuæ, dicite clauſa fuit?
An magis & veſtros noſtris adiungere fletus,
Funeris & ſtudijs iuuit adeſſe pijs?
Nec puto, crudeles, nec ſæua Tygride natæ,
Nec vos ille poteſt non tetigiſſe dolor.
O ſaltem nitidi ſubter ſecreta Moſellæ,
Quæ vada nunc vitreas dilnis amne comas.
Pulchra faue, luctusq; tuos, luctuſque tuarum,
Si comitum fas eſt, mitis Obrinca cie:
Ipſe dolor terras, ipſe implet cærula ponti,
Sed prior in veſtras, appulit ille domos:
Audijt, & ſolitos Rhenus iam ducere curſus,
Oceani & notas pernegat ire vias.

OBRINCA.

SCimus & in tepidos lachrymarũ ſoluimur imbres,
Hic mora ſit iuſſis parua miniſteriis,
Inde omnes pariter ceruice & poplite flexo,
Fundimur ad ſacri membra colenda ducis.
Tu Thetis auratos perfundito lumine vultus,
Oraque Phœbæis irradiata notis.
Ipſa ego, aquam expediam. fluitantis cymbia roris
Syderei, ambroſios Ino feret latices.
Aut tonſis facilis promet mantilia villis,
Qualis fert ſurgens fonte Diana ſuo.

CAROLI MEMBRA LAVANT NYMPHAE.

THETIS.

ERgo mei ſalue mihi rurſus Achillis imago,
Vertere Pergameos oraque digna duces,
O frons læta, ô quanta genis & gratia malis?
Lethæus fugiat tangere labra liquor.
Mulceat illa ſuos etiam nunc, terreat hoſtes
Illa ſuos, Lothari forma verenda patris.

At vos infidæ vos heu mala numina Parcæ,
Durus habet veſter lumina victa ſopor.
Dure ſopor, mollire tamen ſi vota ſuperſunt,
Æſonios latices vincere lympha poteſt.

NEREIS.

At mea per validos iã currit lympha lacertos,
Necdum ita durabat candida membra rigor.
Qualis erat viuo viſus vigor ire per artus
Cuncta oculis mecum feruida turba lege,
Quale humeris robur, tales ſibi poſtulet Atlas
Arma vel Alcidæ brachia tanta decent.
En etiam fidei comites date mollia dextræ
Oſcula, quæ veſtris panditur obſequijs.
Ægide ſic poſita virgo Tritonia ceſſat,
Sic Mauors raptis mitis ab exuuijs.

INO.

Talis eras Godefride heros: nam lucida vultus
Forma tui, noſtro pectore ſcripta ſedet.
Talis eras, Cadmea patris dum littora ſpectans
Fortia Carpathium per mare vela dares.
Hic ſtatus ille, tenor membris & regius ordo
O nimium proauis Carole digne tuis.

OBRINCA.

ARgutas aliò, ſoror ô, conuertito voces,
Nõ ſunt hæc meritis verba ferẽda Ducis.
Ipſe ſibi laudes animus, ſibi carmina poſcit,
Debita: nec mentis corpus imago neget.
Ergo ſuaue loquens inclama: Dextera ſalue,
Quàm bene larga bonis, tam metuenda malis.
Salue de niueo rutilans Clementia vultu,
Atque animi facilis, nuntia temperies.
Hunc ſibi de proprio Superûm quo temperat aſtra,
Quo pellit nubes arbiter ipſe dedit.
Necdum oculis antiquus amor, nec ceditis ignes,
Noſtra etiam veſtra cum face lympha viget.

THETIS.

NVnc etiam clauſis erumpit flamma pupillis,
Dulcior hæc Phœbi flamma cadentis erit.
Chare ſoporatos, quid Carole claudis ocellos?
Hic licet inuita morte ſedebit amor.
Fortis amor, nitidis flammas incendere ocellis,
Deq; humeris alas addere, vel pedibus.
O nimium fractis inopum veſtigia rebus,
Feruida, non vlla gaudia ferre mora.

NEREIS.

AH quanta in Pylijs viuit reuerentia canis!
Nec Pylijs canis, non bene ſenſus erat.
Exuperat canos animus, Nereia morum
Et ſeries, Parcæ ſed tria ſecla negant.
Dignus at Euboici vel vincere pulueris annos,
Euboicis fœto pectore conſilijs.

INO.

NAturum à prima ſalue lanugine pectus,
Cui cedunt Clarij carmina flexa Dei.
Biſſenis potuit puro hinc de flumine luſtris,
Cuncta per imperij currere membra vigor,
Omnibus hinc motus, vitæ omnibus aura, ſalusq́;
Tutamenq́; tuis, Carole, luxque tuis.
Salue, ô ſupremum pectus venerabile, corpus
Salue, tuque animo, Carole, ſi quis ades.
Certè ades, obſequijs & delectabere noſtris,
Audiet hæc per te vel pater ipſe Deûm.
Plurima confertæ certatim verba paramus,
Ecce petit proprias altera turba vices.

AD NYMPHAS DEFLENTES CAROLI MORTEM.

FRuſtra, Nereidum cohors ſororum,
Fruſtra tot lachrymis rigas, & vngis,
Nobile Auſtraſiæ Ducis cadauer:
Iniectiſne putas egere lymphis,
Puro candidiora membra lacte?
Intactam citiùs niuem dealbes,
Vel quos cana ferunt liguſtra, flores:
Quàm feralibus eluatur vndis,
Omni candidius cadauer vnda.
Fac Nereia phalanx, modum dolori,
Carlo conſtat amor tuus, quieſce.
Nunc opus Dryades manu, arte, ſyluis
Noſtro Sandapilam Duci paremus,
Sed ecquam? properate quæque onuſtæ
Dextras arboribus. Diana quercum,
Proſpelæa Cedrum, Abietem, Aphidante,
Idæam Nomia affer huc Cupreſſum,
Onus ponitis, & manum labori

Datis, iamq; trabes gemunt ſub ictu,
Cede Nereïdum cohors Sororum.

DRYADES LOCVLI TABVLAS COMMITTVNT.

Et quidem, ad Lotharingici nominis firmitatem exprimendam,

QVERNAM IN EIVS FVLCRVM

DIANA LOCAT.

LOngo paratam Marte potentiam,
Qua Roma toti iura dedit ſolo,
Deleuit ætas, & ſepultam
Suppoſuit Libithina buſto.
Non ſic edaci dente, tuum dies
Vel longa regnum, Carole, deteret,
Durabit æternum: Iſta vates
Auſtraſiæ bona fata dico.
Sic ominari, Carole, me iubes,
Qui ſceptra dignis patre nepotibus,

Firmata longa pace, multis
Præſidijs ſtabilita, tradis.
Hoc ergo Princeps, nomine, querneam
Tuæ locamus Sandapilæ baſim.
Hæc ſeruet æuo membra; putri
Ne carioſa ſitu fatiſcant.

E CVPRESSO ALTERAM PONIT NOMIA.

Exempli quo ſummis iuxta ac infimis ad virtutem præluxit Carolus Indicem.

NEc illa laudum pars erit vltima,
Princeps tuarum, quod monitis ſimul
Vitâque, ſpiraſti ſuauem
Auſtraſiæ populis odorem.
Hac arte, multos è ſcelerum lue,
Turpiq́; multos hæreſis ex hara,
Ad ſanctiorem prouocaſti,
Plebe ducem comitante vitam.
Amas odores; ecce parauimus;

Faxo ſiniſtrum Sarcophagi latus,
(Quæ ſola noſtri eſt ſors laboris)
Fiat odorifera Cupreſſo.
Verum, Cupreſſus, te, mea, non niſi
Hac lege pono; ne temerario
Auſu, per innatos odores,
Membra Ducis ſuperare tentes.

ET SVAM E CEDRO PROSPELAEA FIGIT.

Lotharingicæ domus perennitati gloriæq; fauens, quam incorruptæ arboris materia, deſignat.

SAturne falcem ſtringe licet, metu
Iſtud verendum canitie caput:
Tu, Scinde filum, Parca, vitæ
Quæ Pylios meruiſſet annos.
Totam, nec ipſo funere, Carolo
Vitam auferetis: Semper in omnium
Quicunque viuent, ore viuet
Eius honos, pietas, fideſque.

Cedrum mereris Carole, quæ tuam
Æterno adæquet tempore gloriam,
En conſecramus: Euge, dextrum
Sandapilæ latus, eſto Cedrus.
Forſan vel ipſis proderit oſſibus,
Vt iuncta Cedro, perpetuam Cedri
Sortem æmulentur: Clauſa Cedro
Oſſa nefas tetigiſſe vermi.

SVPERPONIT APHIDANTE ABIEGNAM HOC EST
in extincti Caroli virtute vim propriam ad inuidiæ futuræ cum tempore victoriam.

VIrtute, factis, ſtemmate, copijs,
Magnam paraſti, Carole, gloriam,
Qualem vel ipſos ante Reges
Fama refert meruiſſe paucos.
At ſumma, venti culmina montium
Perflare; Liuor nobilium ſolet
Nomen virorum, gloriamque
Vipereo vitiare morſu.

Hoc fama, virus, ne tua ſentiat
Princeps, feretrum claudimus Abiete;
Hæc mole vinci neſcit, imò
Quo premitur magis eleuatur.
Sic creſce, noſtri gloria Principis,
Sic inter omnes inuidiæ impetus
Aſſurge in altum, donec ipſum
Cum domino, penetres Olympum.

NAPÆÆ LOCVLVM CAROLI FLORIBVS ORNANT.

AD EVNDEM EÆDEM.

ET nos Heſperidum venimus hortis,
Quondam deliciæ tuæ Napææ,
Vt quæ copia narium, parata
Dudum cuique, tuis odora ſeſe
Membris inijciat, reſiſtis? & qui
Diuum delicijs liqueſcis, ædis
Indiges rutilæ, capi caduco
Senſu poſſe negas, nec iſta veri
Ignaræ ambigimus, quid ergo? odores
Obſides dare mentis ac amoris

Ambimus; Placida repoſtus vrna
Olim quas oculo benigniore
Legiſti nitidas, adhuc ſuperſtes
Plorantes modò mortuus repelles?
Admittis, procul ô procul, tacentes
Seceſſus nemorum, ſinuſq; cæcos.
Obſcuræ Dryades ſubite ſyluæ.
Et nos funera, Caroli, Napææ
Tangunt, ora madent, tumetq; pectus
Nobis perpetuo doloris æſtu,
Quem reſtinguere ſi fluens ocellis
Nequit lachryma largiore riuo,
Non hunc munera noſtra temperabunt?
Carle, & qui capulum tegent colores?

FLORA HYSSOPVM INFERT IN LOCVLVM.

Animi aduerſum omnes demiſſi teſtem.

NAn quid diſſimulem? tuique labro
Robur pectoris obruam ſilente?

Aut

Aut quid ſyderei notas amoris,
Demiſſique animi decus perenne?
Nam quamuis titulis auiſque clarus
Retro ſtemmata per priora ferres
Heros ſecla, Ducum pater, genèrque
Regum, par opibus, manuque Regi:
Quo nil celſius expetiſſe cordis
Humani potis eſt tumor decore,
Par cunctis tamen, & minor minore,
Æquales colis, & colis minores.
Nec tu quæ digitis reuulſa noſtris
Imples herba manum, petis volatu
Sedem præpete digna digniorem?
I. ramis loculum, tuaque fronde
Vmbra hyſſope, meique ȯdora
Functi contege Caroli ſepulchrum.
Manes atque vtinam ſubire poſſes:
Quanquam ô? ſed ſatis incubare cippo eſt,
Cippo, quem nemorum beata ſouit
Præſes copia, texuit Dearum
Ardor, ſydereæ tulere textum
E lucis Arabum manus odoris,

Quodſi poſceris ecquid inter aulæ
Ornamenta facis, ſeuera linguæ
Herba, hortiſque iacens neglecta cultis,
Dic audax, tumidos tumentis æſtus
Cordis Carolus, infremente circum
Faſtu, per tenues abegit auras,
Vt qui diuitijs ſecundus eſſet
Regi, ſtirpe Duces præiret omnes,
Par eſſet minimo, pio ſubactæ
Senſu mentis. Et hanc loqui tacendo
Non curem? atque vtinam meas perennè
Serues illecebras, & has & illas.
Odoreſque meos & hos & iſtos
Parue Cippe, quibus perenne in æuum
Viuat gloria, Caroli que viuat
Dentis neſcia liuidi, tumere
Mens olim indocilis: ſed oro vana
Nequicquam, aureolam beatitatem
Quam non ipſe poteſt ſibi inuidere,
Quam non demere præferoce quiſquam
Auſu tentet, habet: paremque virtus
Illa ſpirituum potentiorum.

Victrix obtinet: Et perennitatem
Firmo non habeat perennis æuo?

ET LILIVM NAIS OFFERT NOBILITATIS LOtharingicæ argumentum.

Lilium ſolus feret ergo Gallus?
Nec tibi dextram meritum merenti
Regiam Regum decus optimorum
Prefferit vnquam?
Prefferit? nec nos pudet ô ſorores
Debito longum viduare cultu
Cuius albentem deceant amentque
Lilia frontem.
Ergo ſupremos tibi vendicabis
Ferre plorantes animis honores
Has ſibi partes merito repoſcunt,
Lilia partes.
Lilium fecit Lotharis, tuæque
Lilium genti decus & triumphos.
Lilium contra dedit irruentes
Robora turmas.

Lilium dextra cape liberali,
Lilium certum generis, tuaque
Jndicem ſtirpis cape, glorioſæ
Stemmata dextræ.

Lilium formæ monumenta, Phœbus
Nam faces qualis micat inter omnes:
Talis aurato nitidus labello
Dulce nitebas.

Purius Phœbi radijs, polorum
Purius flammis, oculi micabant,
Albidi mores pietas in omnes
Alba vigebat.

Cuncta mors texit nigricante palla,
Cuncta ferales rapuere Parcæ,
Noſtra ſed viuent tumulis, tuæque
Lilia menſæ.

IDEM CVM VOTIS EIDEM INGERIT FLORA.

ME quoque delectant vernantia lilia, quæ dum
Jnijcio feretro.

Non vt priſca dedit quondam Tarpeia ſacerdos,
Virginibus teneris.
Dona animis reparate nouis, reparate colores:
Stemmata Francigenûm.
Lilia gratiferis promam comitata loquelis,
Et dabo verba polis.
Rector Olympiacæ cuius confinia terræ,
Imperio trepidant,
Quando gradu intacto premit ardua Carolus, & te
Auſpice, ſe ſuperis
Miſcet ouans, gaudenſq; choris, miſerere, tumultus
Lilia ne violet
Bellicus, aut cæci Martis furor atterat, vna
Fœdera Francigenûm:
Annue. Noſque tibi beneolentia lilia, tumbæ
Indigetiſque tui
Æternum memores memori benefacta tuentes
Corde, Deæ dabimus.

VIÒLAS ADDIT NAIS INſigne monumentum in vicinia fœtentis hæreſcos retentæ cum odoris fragrantia virtutis.

NOn tam diua Cypri fœlix Amathuſide myrto
Pampinea vel thyrſiger vmbra.
Quam grata violæ celebrandus Carolus aura es,
Ter ſuperis, ter charus & imis.
Nempe tuæ ſi ſe diffudit ſpiritus auræ
Latius, & nidore ſuaui.
Dulce halans viuis afflatibus æthera, virtus
Perſpicuum compleuit, in omnes.
Quo fera Tartareæ partes violentia ſedis,
Acrius eijciens, tibi fata.
Exitiumque tuis frendens ferale, coquebat.
Quis violæ tibi munera demens
Munera odoratæ frugis tibi debita? nari
Grata tuæ olim munera deneget?
Allia ſi propius violaria ſeueris, aurâ
Gratior exhalatur odoris.
Haud aliter vigor ille tuus, pietaſque fideſque
Suauius hoc afflauit odores,

Quo mage finitimas peſſundedit impia ſedes
Tiſiphone, pinuque flagranti.
Vicinas Lotharis inuaſit mœnibus oras,
Chriſtiadum ſacra iura, Tonantis.
Iura Panomphæi ſoluit, ſeduxit, auitis
Ritibus, atque nouam ſimulato.
Numine præſtituit legem ſine lege, Deoque,
Proh dolor! Interea cadis ô flos.
Flos Lotharũ, tumulandus humo, tumulabitur vna
Hac viola, & decoraberis illa.

SIGNAT ROSIS CANDIDIS candorem animi Flora, rubeis in ſuperos ardorem.

FLores ingero Flora diſcolores,
Albentemque roſam & roſam rubentem,
Vertet quiſquis in hanc tuendo, vultus,
Flammis corda putet peruſta ſacris,
Cœleſti ignea luce ſe videre.
Carle hanc, candidulo nitore quiſquis
Puram viderit, hic luis malique
Expertes animos doli, prioris

In candore tui reuoluet æui,
Integros ſtygy nigroris annos.

APIVM OFFERT.
Victoriæ de Dæmone ſymbolum.

NOn te Cytheris, non Semeleius
Geſtauit vnquam molliter in ſinu,
O herba, curſus ac palæſtra,
Teque labor deceant, corona
Nam tempus illi nectis amabili,
Qui fregit hoſtem victor, & efferens
Late triumphos, impetrauit
Ipſe pares meritis honores.
Et noſtra Princeps munera negliges
Obſcura quamuis? quique laboribus
Primis ab annis conſecraſti
Teque tuoſque? potentiores
Aggreſſus hoſtes, robore non tuo,
Diuum ſed illo, firmus in hoſtico
Quo tu ſtetiſti, ſæuienti
Vt ſcopulus pelago reſiſtit.
Te ſenſit oris imperioſius
Qui regnat imis inſuperabilem,

Mirante cœlo, detonante
(Sed temerè) Stygia palude
Hoc ergo per nos germine cingere,
Tellus quod hortis parturit uuidis,
Pares: micantes victor ædes
Iam potis es penetrare cœli.

TVMVLVM CAROLI FABRICANT OREADES MARmor inſternit Erato quo patientiam figurat.

NEc nos monticolæ funera Dux tua,
Obliuioſo preſſa ſilentio,
Aut orba, Nymphæ præferoces
Officijs patiemur eſſe.
Electro melius marmor Atlantico,
Auro lapillos montibus Indicos,
Noſtris priores aggeremus,
In titulos, tumuliq; molem.

Inſtrabo membris prima tuis, manu
Noſtra reciſum marmor, & ingerens
Narrabo cauſam? qualis ictus
Reſpuit imminui rebellis.
Spartano poſitus monte lapis, manum
Qualis refellit, durus & impotens
Refringi Ophites, quale ſaxum
Stat Parium, Latomoſque laſſat.
Talis Tartareos viuidus impetus
Aduerſus omnes, talis adobrui
Sortis procella peſtilentis,
Indocilis, remanes, eodem
In greſſu ſtabilis, quamlibet improbè
Interminando, nubila detonans
Miſceret iræ, mortis atræ
Funera multa, tibi, tuiſque.
Quis cum ſæua fremens, è penetralibus
Excitus orci Mars furias daret,
Armata tædis dira claris,
Hæreſis inuolitans præiret,
(Ac quæ eſt peſtiferæ vis luis) oppida
Arctaret audax, Auſtraſiæ tuæ

Dunum ac Stanæum, defluentes
Ex oculis celerare rores.
Vidit? quis gemitus? ducta quis intimis
Lamenta mœrens de latebris, tui
Cordis? quis vnquam proruentes
Audijt ore dolente voces?
Nam forti excipiens ſingula pectore,
Mentemq́; duris indomitam gerens,
Non voce teſtaris dolorem,
Non lachrymis, ſed in aſtra vultus
Tollens, grata Deo carmina concinis,
Ac ne innocentes longius effero,
Vrgere greſſu pergat amens
Bellua, vota facis parenti.
O diuina tuæ vis patientiæ,
O te beatum Carole, nam manu
Quot ſors acerba ſæua fixit
Vulnera, tot poſuit coronas.
Quas non vdus agens decutiat Notus,
Non denſus imber, non niger Africus,
Æterna cœli namq; viuunt,
Dona ſemel domibus repoſta.

Nec te ſydereis dotibus inclytum
Diuæ colemus? non patientiæ
Per nos tuæ ſignata claris
Indicijs monumenta ſtabunt?

PHIGALIA OFFERT ADAMANTA IN SIGNVM FORTITVDINIS.

Quem te memorem fulmineo potens
Dux enſe, cui ſe temerè Hercules
Æquet, feroci voce quamuis,
Se genitum Ioue mentiatur.
Hæc Princeps tua laus propria, tu Ioue
Natus, beato ſydere ſydera
Nam terruiſſes, monſtra Ditis
Aula tibi noua ſi dediſſet.
Functus tot ſiquidem quando laboribus,
Aut quando dextræ magnanimæ ardua
Tot facta, mundo maior omni
Inuidia, dedit æſtuanti?
Quot per te rediens Phœbus, & occidens,

Gauiſus orbi, Carole languido,
Extare cordis ſigna magni,
Et generis monumenta priſci.
Quæ ni eſſent Lotharis cognita, & exteris,
Grande eloquendo, quà croceat fluens
Ganges, tacetq́; mœſta Thule,
Multiuago penetrans volatu
Illa audax canerem. Laudis at indigus
Non es meæ (hoc tantum) rabida manu
Quas Martis artes, & quietis
Parca tulit, ſimul & rapaci
Texit veſte, tuæ fila ferociens
Scindendo vitæ, reddere poſteris
Sæclis perennes, cognitasq́;
Molior. Ergo mihi faueto
Iam nunc, parue lapis, ſæcula gloriam
Ventura Carli ne violent, ſimul
Et fulgurantis ingenî vim,
Tumbæ adamas latus occupato.

CHRYSOLITHVM PONIT MELISSA.

Omnium amoris in illum ac beneuolentiæ indicium.

FIrment augurium Dij ſuperi, mei
Hic membra cippus lactea Caroli,
Vmbrabit, expers labis, ætas
Quam generat ſubitique caſus.
Ergo ſcite lapis, nomen ab aurea
Fœlix decorum qui ſpecie trahis,
Clemens adeſdum, nec iugari
Suppoſitis graue ſit lapillis.
Si pares, meritis tempus honoribus
Veloce greſſu, te colet effluens
Nam thura, pæſtanumq; florem
Congeret, & reliquos odores:
Nec laudes tacito ingrata ſilentio
Cælabo, terras namq; per vltimas,
Aut per rigentes candicante,

Vecta feram populos pruina.
Non lux ruricolam ſolis amoribus
Accendet vnquam talibus, vt tuos
Linquam, nec infandum voraci,
Quidquid agit pelagus ſub vnda.
Quod ſi ſollicitus fors Onyche exigis,
Cur te relicto ſedula deligam:
Audi: fauillis vsta Dijs
Corda refers, meliuſque adumbras.
Tu clarè rutilas, qualiter igneos
Cum Sol iugales flammeus incitat,
Tarduſque campis ſtat ſolutis
Æſtus, aquaſq́; pecus natatas
Olim: poſcit iners. Talis adobruta
Frigente terræ mole, meus face
Princeps, ſacrata charitatis
Purpurat in medijs, nitetq́;,
Non motus animi? viuaq́; perpetim
Suſpiria imo pectoris in ſpecu?
Non vota noſti plena cœlo,
Plena Deo, ſceleriſq́; pura?
Et te non ſimilem dixeris? optime

Doti polorum? vel Lotharo Duci
Non congruentem. Jam locare,
Nam ſatis eſt, reliquiſque inhære.

IASPIDEM AGGERIT,
In teſtimonium collectæ hominum gratiæ.

DIANA.

INter omnes ſola vellem, ſola nullam iungere
Sola gemmam? dona Nymphæ, dona Nais, munera
Sola nollem? mœret aer, terra mœret, cœlites
Et beatæ quidquid aulæ claudit ingens ambitus,
Et Dearum ſola ſpernam iuſta nunc ſuſpiria?
Dant ſorores dona Nymphæ, dona præbent mortuo
Nulla Nympha ô, dona vellem, nulla tãto Principi
Ferre? lugent templa, triſti murmure aer perſonat,
Reddit Echo mœſta voces, mœſta voces integrat,
Sola toto corde ducam, mente tota gaudia?
Non ita. exemplo ſorores flebo veſtro, gemmulam
Dona tradam, dona multis, dona luſtris offeram,
Et canoras, & ſonoras ore voces proferam.

Vmbra

Vmbra dormi, dumque cœli fertur axis ſtellifer,
Vmbra dormi, lecta pridem, lecta per te gratia
Stabit, vndis terra non ſi bruta ſedem deneget,
Pulſa cedet, pulſa terris, pulſa venis gratia,
Cuius orbi ſigna reddat clara, Iaſpis poſtero,
Iaſpis olim votus armis, & togato Principi,
Nunc ſepultis hic locandus, & ſtruendus manibus.

EVNDEM LAPIDEM OFFERT ERATO.

MAgnos magna decent; nec ſatis optimi
Laudes extuleris Principis? eluam
Ergo crimina preſſæ
Linguæ Nympha ſilentio
Tu qualis viridi lumine purpurans,
Ad ſeſe tacitè pellicit attrahens
Claros Iaſpis ocellos,
Caſtis quos facibus replet.
Dum faſtus cohibes, atque licentiam
Aulæ, dum retines iura, lepos tuis
Dictis, dum comes vſque,
Atque vnà charites eunt.

Virtutis radio ferrea ſic tuæ,
Mitis concilias pectora, nec premens
Vnquam, peſtifer vllos,
Te præſente habuit furor.
O ſi te veterum turba Quiritium,
Si te Mygdonij, diuaque cernere,
Chartago potuiſſet,
Princeps quantus honos tibi.
Non Eliſa alij, quam tibi, mœnia
Pandiſſet Tyriæ, nec Tyrij ducem
Præter te voluiſſent
Capti, fronte, oculis, genis.
Nunquam Tros Lybicos fallere præditus
Fœdaſſet thalamos, vrbis Agenoris,
Nec quo Eliſa periret,
Feciſſent gladium Phryges.
Ergo parue lapis, tam bene Caroli
Mores, ingenium, blandaque blanduli
Oris, verba figurans,
Vltro iungere cæteris?
Ac ſi pura ſuo Carole cœlites,
Pompâ digna tuâ, pennigeri cohors

Ferrent membra ſepulchro,
Iuſta illi tibi penderent.
Huc ergo Aligeri, nec mora, candidos
Subdentes humeros Sandapilæ, ſua
Illam reddite terræ,
Et vota inſuper addite.

CAROLVM ANGELI SEPELIVNT.
ANGELVS LOTHARINGIÆ.

PAremus, facileſq; ad funera chara venimus,
Funera, tam mœſtis non reſonanda modis.
Atque ego te Lotharûm compellans gloria, clarè
Inſono, iam terram tectaque auita ſubi.
Tu cinis, hic cineres tumulus ſeruabit, & vmbram,
Quam non vlla malæ terruit vmbra ſtygis.
Ingrederis, pax vmbra tibi, requieſque ſepulto:
Te mœror placidum, curaque nulla premat.

ANGELVS CVSTOS.

NOndum te dederat mater ſub luminis auras,
Cœpi, quando tuis inuigilare bonis.
Scis iſthinc optanda bonus, quæ commoda vitæ,
Quæque animi, noſtris traxeris auſpicijs.

Te pax, præſtantem, te Mauors reddidit hoſti
Terribilem, virtus ipſaque conſpicuum.
Sed Franco, ac Lotharis gratũ quæ corda pererrãs.
Syderea ingeſſi verba verenda domus.
Hac mea cura tenus, quæ ſi valuiſſet, haberet
Et modo, florentem te tua terra Ducem.
Tardaque viuacis viciſſes ſæcula corui,
Æuo hamadryadas non pereunte Deas.
Fata, ſuis cupidum ſtrinxere æterna cathenis,
Porro tuos velletne retinere dies.
Sic cadis, & ſuperis animus dum cedit in auras,
Artus mœſta ſibi, membraque ſeruat humus.
Quæ, dum purpureis exorno coloribus, euge
Carole, ini tumulum, perpetuumque vale.
Sic ego te matri, cuſtoſque reſigno parenti,
Iſtis, te renuis iungere durus auis?
Non renuis, iamque ingrederis, tibi numina vertãt
O bene, nec manes ſors premat vlla tuos.
Interea, dum terrifico reboantia bombo
Cornua, non cogunt ad fora dia reos,
Pax tibi, pax vmbræ, pax ſit, requieſque ſepulto;
Te mœror placidum curaque nulla premat.

ANGELVS BARRIDVCATVS.

ET iuuat vnda vmbras,luſtralis, & addita thu-
Grana, tuis mea pars,manibus iſta dare. (ris
Ergo,has cœleſti lymphas aſpergine Princeps,
Cumque illis facilis maſcula thura cape.
Maſcula thura, preces quæ ſecum ad ſydera noſtras
Celſa vehant, puro quas damus ore patri.
Ne tibi ventoſi vis aſpera flaminis obſit,
Cumque Euro Zephyrus,cumq́; Aquilone Notus.
Nec Neptunus aquas,tumulo, nec frigida fundat
Æthra,fluens iuxta Murtha nec ipſe ſuas.
Sed tibi pæſtano cultu fœcunda miniſtrent
Arua, nouo clarè vernea Lucifero.
Nec deſint, qui donà ferant redolentia,tellus
Indis quæ generat, quæq́; ſabæa Dijs.
Excubet ad cippum pietas gemebunda, dieque
Te fugiente tui; te redeunte vocent.
Dent luteos,dent ſanguineos dent veris honores,
Quos legit Aſſyrius,quos opulentus Arabs.

Ipſe ego, dum nondum trepidanti cornua bombo
Horrida conclamant ad fora dia reos:
Pax tibi, pax dicam, pax ſit, requieſque ſepulto;
Te mœror placidum, curaque nulla premat.

CAROLI LAVDES
Muſæ alternis concinnunt exinde ſolæ.

Hinc gemitus, lacrymiſq; ſinus, oculiq; madētes:
Hinc cycni querulæ voces, hinc germina triſti
Sacra pyræ: nobis arguto pollice plectrum
Tractatur fidibus iunctum: vel Leſbia leni
Barbita pulſa manu: chordæ cytharæue, lyræue.
Nec ſua materies aberit. tu teſtis Olympo
Virgo recepta tuo, tu pleno copia cornu:
Tu teſtis durum noſcens patientia corpus,
Tu cerebro magni patris deducta Minerua,
Tuque adamantæis conſtantia nixa columnis.
Quicquid enim varios natura effudit ad vſus,
Quicquid multiplices cœlum diuiſit in oras,

Quicquid Marmoreo pulchri latet æquore clauſ-
Hoc totum virtus gremio concluſerat vno. (ſum,

GENERIS AC FAMILIÆ LOTHARINGICÆ Caroliquedecoralaudat Clio.

QVod ſi nobilitas fuſis encomia verbis
Poſtulat, & cunctæ refluunt in ſemina laudes;
Quæ ſtirps nobilior, vel quis generoſior ortus
Quam regalis erit? quam qui terrâque, poloque
Cognitus, effulgens claris proſpectat vtrumque
Oceanum radijs? Te ſæua binominis Iſtri
Gens nouit, patrias cognouit Græcia vires:
Nomen adorarunt Perſæ: te Nilus, & vdus
Contremuit Tigris; monteſque aduoluit aquarum
Ad caput, & ſolitas Neptuno ſuſtulit vndas.
Non mihi ſi Phœbus centum det rumpere voces,
Omnia maiorum percurrere ſtemmata poſſim

Attamen, indictum quis te Gothofrede relinquat?
Qui cælo latos humeros, ac fortia colla
Attollens, animo non inferiore, latina
Mœnia ſcandiſti primus, morboque ſolutus,
In Turcos fauſto vertiſti prælia ferro?
Tunc ſacras Solymæ pinnas vexilla rubenti
Nota cruce, ornarunt: tunc Antiochia feroces
Depoſuit ritus: Lotharûm tunc arma, cacumen
Audiuit Tauri montis: Tunc ſacra creato
Principe, proſiluit tellus: conformibus vnum
Oenotrij Gallique viri, Rhenumque bibentes,
Quem votis, fecere Ducem; diademate nullo
Quamuis inſignem. Sed quid minuentia verum
Verba decus necto? nunquid te Cœlifer Atlas
Obſtupuit? nunquid tremuerunt æquora fundo
Conglomerata metu? nunquid Mæotica terra
Inſonuit, turbauerunt ſeptemplicis vndæ
Oſtia; cum victis debellatiſque triumphis,
Arma crucis ferres, rubro radiantia ſigno
Per mare per terras? ſenſerunt æquora moles
Iam contracta tuas, quærentia littore littus.
Nec ſane Alcides tantos inuenit honores;

Nomina nec genti liquit tam clara Lacænæ:
Quamuis fœdantem peregrina ſanguine templa
Proſtrarit, ſæuo quamuis alimenta Tyranno
Abſtulerit, nec eum triplex paſtoris Iberi
Terruerit facies: latrantia temſerit ora
Tænarij canis; atque eius virtute relatus
Thermodontiaco ſit pictus baltheus auro.
O pietas, ô rara fides & neſcia vinci
Dextera! ſed quis te tacitum Guillelme relinquat?
Quis Theodoricum ſileat? qui murice potas
Contemnens veſtes, nitidiſque aſarota lapillis
Deſpiciens, tacitam tutus quæſiuit eremum?
Excipit hunc Simon notus victricibus armis:
Vos teſtes Limburgenſes, quos Delia lambit
Vos teſtes; Lotharis cunctando prima dediſſe
Et decus, & famam. ſed tu mea ſera voluptas
Salueto, patriæ florentis imago Renate
Et lapſæ; genitus multum alternantibus aſtris?
Heu! decus Auſtraſiæ dudum caligine cæcâ
Inuida merſiſſet longæua obliuio famæ,
Ni patriâ virtute cluens, & robore nixus
Diuino, multos confuſæ ſtragis aceruos

Feciſſes: galeasq́ viroſq́, & ſcuta ſub vndas,
Voluiſſes fuſo variate cruore Moſella.
Quo feſſam rapis Antoni? tu maximus ille es,
Quo ſacri cultus, & relligionis auitæ
Fundamenta manent: fœlix qui prima nouercæ
Monſtra manu, primos Lutheri eliſeris angues!
Qui bello egregiam & multo diſieceris vrbem
Milite prægnantem! fœlix quem, prole beata
Omnipotens auxit! quam heu funere merſit acerbo
Atra dies! fauſti quos tali prole beaſti!

CONTINENTIAM ERATO.

Quem te memorem, Carole, neſcium
Laxare immodicæ fræna libidini:
Sed magno, placidi tela Cupidinis
Contemnentem animo? ſacra
Te Pallas ſiquidem ceperat, indoles
Enutrita pÿs ſub penetralibus
Flammas ſopierant, & Veneris rogos
Purâ perdiderant aquâ.

Hinc corpus vegetum robore! pectora
Hinc luctata petris: hinc animo vigor:
Hinc in militiæ muneribus ferox,
Tentans prima pericula.
Non ſoles rapidos fallere ſueueras,
Dum campis raperet ſæua canicula,
Vel cum magnus aquas funderet è Polo
Orion, canibus minax.
Quis tecum tunicis conferat æneis
Græcorum proceres? Hectora ſanguine
Quis rubrum Danao? vel Veneri ſacram
Magnæ ſtirpis originem?

IN VICTV MODVM
THALIA PRAEDICAT.

ALes Mæonij verſus te Marte ſuperbum
Concinet, & quid equis
Ediderit, vel quid vitreis duce miles in vndis
Carole te, & comite.
Pelidæ nequeo caput inſuperabile bello
Dicere, vel ſtomachum.

Nec Pelopis funus. Verum conuiuia: ſectiſq;
Vnguibus in iuuenem,
Prælia, maturæ poſſum cantare puellæ.
Mobilibuſq; ſonis,
Riuorum celebro pomaria proxima: laudo
Parturiente Noto
Imbres, & cœlo mittenti nubila; vini
Pocula mellė lita.
Et Leſtrigonium Bacchum, menſaſq; repoſtas,
Regificaſq; dapes:
Quæ dulci ſtudio ludens, humana miniſtrat
Cura, cientė gulâ.
Hædulus eſt curæ grege toto mollior, herbæ
Inſcius, & ſalicis,
Qui niueo plus lacte fluat, quam ſanguine: pulli
Et femur, atq; latus
Murenæ, & totum Lucullo tardus in annum;
Sunt mihi materies.
Perſica gens cordi, ſeptemplicis oſtia Nili
Quæ colit, & Latium.
Lenæum libans laticem Germania, pictis
Gens epulata thoris.

Mutua curantes etiam conuiuia Pœni,
Dum genialis hyems
Pocula depoſcit. Verum mirabor, & omni
Tempore ſuſpiciam
Herois parcos ſumptus, victumq; paratu
Et facilem & modicum.
O quoties longo famulorum ex ordine cœtus
Compoſitos, oculisq;
Optantes, domini dextram perfundere lymphâ,
Deſeruit: fugiens
Vltro ſe dantem pompam, tacitisq; ſequentem
Paſſibus! & quoties,
Æquos militibus nullo diſcrimine ſumptus,
Aſpera fecit amans!
Barbara muteſcant peregrinæ ſæcula gentis,
Romulidæq; viri:
Atq; tumeſcentem ſata Cecrope comprime faſtum,
Vincit enim Lotharus.

IN AVLÆ LICENTIA LASCIVIAE ODIVM EFFERT.

MELPOMENE.

NVmina terrificis orcus quæ protulit antris
Eumenidumq́; chorus,
Aula tenet, ſcelerum genitrix quæ ſemper apertis
Faucibus inuigilat.
Auro pallenti: eſt cuius fœdiſſima mater
Ambitioſus honos;
Adſtat veſtibulis Regum: ſuccenſa Cupido
Tartareæ igne facis.
Et quæ porrectâ latitantem fronte ſerenat
Pernicioſa Venus
Fraudem: Circæis labefactans fortius herbis
Corpora, vimq́; animi.
Hîc pueri laſciua ſonant: conuiuia cantu
Illicito celebrant.
Cæce puer turpes auro circumlite crines
Illaqueas pedicis.

Matres atq́ viros, pueros, teneraſq́ puellas,
Omnia vincis amor.
Quiq́ Iouem & cœlos ſpernis penetrabile fulmen,
Qui Polypheme iocos
Eſſe putas, flamma Veneris combureris; & quæ
Marmore monſtra natant
In furias ignemq́ ruunt. O Carole diuûm
O ſacra progenies?
Quis tibi tam duro corpus circumdedit ære,
Tutus vt in medijs.
Extiteris telis? Viuis Salamandra per ignes
Innocuoſq́ rogos.
Tuq́ per accenſam flammâ crepitante fauillam
Carole fila trahis.
Quin imò flammas, tua virtus ſopijt, aula
Crimina diſijciens.
Nam veluti Phœbus tenebroſi nubila cœli
Dum radijs penetrat;
Lux redit, & medio tenebræ pelluntur ab orbe:
Crimina ſic abigis.
Ergo te quamuis pugilem labor Iſthmius, & te
Impiger ornet equus,

Te ſacra condecoret Pinus, Tellure Pelaſga
Vulſa: graueſque minas
Contuderis: dignus ſis quem capitolia cernant,
Atque comis nemorum
Obuelent: tamen hoc omni ſit maius honore,
Quod fera flamma, tua
Errorum quos aula nutrit, non pectora lambit;
Nec tulit interitum.
Sed veluti fuluum cognoſcitur ignibus aurum,
Sic tua nota fides
Quæ dulces dextrá modulos teſtudinis aureæ
Melpomene moderor.
Nunquam temporibus victricia nectere ſerta,
Sint licet in tumulo
Ceſſabo: tales mecum depromite voces,
Et pueri, atque ſenes.
Hoc faciat diues, qui te pro rure paterno,
Nec laribus timuit.
Hoc faciant, quorum ſplendet non obruta virtus
Inuidiæ vitio.

JN SERMONIS LENITATE FACILEM ADITVM EVTERPE COMMEMORAT.

CVm regale modeſtia
Inclinat populo culmen; amor flagrat,
Vrens pectora fortius
Plebis, quam ſi animis Enceladus calens
Ignitos vomeret globos
Ætna culminibus. ſic furor impius
Sic liuor iacet inuidus.
Mellitas Charites labra ducis, ſuis
Perfudiſſe liquoribus
Credo, vos Lotharæ gloria patriæ
Claro ſanguine nobiles
Teſtes. Tu varium vulgus, & infimâ
De ſorte. vnde tibi metus
Nullus, nulla tibi ſuſpicio, tibi
Nullus nuntius abſtulit
E vultu facilem Carole gratiam.
Semper murus aheneus

Eſt viſus, patris vt munus amabilis
Impleres, ſimul & ducis.
Non ſic excubiæ, pila minantia;
Quàm tutatur amor, iuuant,
Hinc cum plebe patres, magna cupiditas
Cernendi ſtimulauerat
Diductam faciem, colloquio tuo
Libandique mel auribus.
Hinc Græca genitus ſtirpe Plato tibi
Concedit faciles manus:
Tradunt, eloquij gloria quos beat.

MEMORIAM RERVM variarum Polyhymnia cõmendat.

OBliuioſis quos nigra Lethe aquis
Potauit, & qui ſtagna inamabilis
Videre Cocyti, ſub vmbris
Tartareis vario recurſu
Tumultuoſi; cedite, cedite.
Huc Mithridates qui populos regis
Genteſque diuerſis reciſas
Murmure vocibus atque linguis.

Et Dædalæo Mercurij ſono
Cunctos laceſſis; cedere Carolo
Non abnues, palmæ virentis
Præmia debita nec negabis.
Natalium vim promouet inſitam
Senilibus par experientia
Annis, & inſtitutione
Mens tenero ſolidata ab æuo.
Quiſnam benignâ curâ inopes fouet?
Orbas maritis quis viduas iuuat?
Et indigentes quis tuetur?
Vel reſecat vitioſiores
Artes luporum? nonne fidelibus
Munita ſignis ingenij fides;
Recordatura ditiorum,
Aut inopum; metuens reſolui?
Memorque ſæuo læta negotio
Fortuna quod ſit ludere pertinax
Modo inſolenti, quod benigna
Nunc tibi nunc alijs fauores
Transfundat incertos: quod & exitum
Tenebricoſa nocte premat Deus

Æui futuri: rideatque
Si trepident homines ſupra fas:
Sublime nil non obtinuit memor
Vis, quam benigno ſydere Iupiter
Reſpexit, & curæ ſagaces
Expediere per alta rerum.
Sed quo rapis me gloria Caroli?
Fallace cur me ludis imagine:
Illum facis viuum vagari
Ante oculos, tumulo iacentem?

CÆLESTIVM SENSVM AGNOSCIT VRANIA.

MOles propinquas deſines vagantibus
Aſtris, & atria ſedibus
Diſtincta multis; promicantium greges
Et aulicorum murice
Suſpicere, ſi ſagacitatem Caroli
Rimeris, & mentem Polo
Dignam. Figuras ſiderum; mortalibus
Induta membris dum foret,

Motuſq; callentem. Tenebricoſa cur
Diana fiat: quæ Polum
Momenta moueant: certus aſtris quam ſiet
Error: retro luctantia
Nitantur incunabula ſua ſidera,
Cur Luna feruentes maris
Fluctus nutriat: unde niuibus rigor: creet
Quid imbre grauida nubila.
Cur arcus undas purpuret pluuias bibat,
Et cur ſuos fines mare
Non exeat: cur Phœbus hyberno die
Paſſu citato Tethyos
Aulam petat. Diana, luminis iubar
Repentè perdat, ac equi
Phœbi colorentur notis, cur Cepheus
Oſtendat occultam facem,
Cur Andromeda minoribus flammis micet,
Et cur agris Procyon furat:
Et ſydus inſanos Leonis inuehat,
Orbi dies: ſitientibus
Pluuias agris. Tibi Manlius tibi puluere
Turpis Mathematico Plato:

Alphonſus, & qui pinguibus glebis ſolum
Nilo rigatum fertili
Incoluit: & qui patriæ noſtræ plagas
Habitauit, Euclides meus
Vincuntur. Ergo quam diu paſcet Polus
Sidera vaporibus ſali.
Oriona quamdiu canis ſuum ducem
Sequetur. Arctos libera
Aquis patris Tritonij Neptuni erit:
Te tam diu Carole canam.

SAMMIELLANÆ CVRIÆ ET MVSSIPONTANAE ACAdemiæ Præſides Genij.

AD CAROLVM.

INdeplorato nec te decet eſſe ſepulchro,
Carole, sũt meritis carmina danda tuis.
At quis erit qui metra duci funebria dicet?
Quiſquis erit, docto pollice pulſet ebur.
Et ſuper æthereo tripodes conſederit œſtro,
Hauſerit Aonij pocula plena vadi.

Si tamen Herois decus, exæquare canendo
Speret, in æquoreos ſemina ſpargit agros.
Huc propera Lotharena Themys; chariq́ parentis
Eximium trutina pondere pende decus.
Quod ſi non perpenſa tuæ libramine lancis,
Deficiens modulos promere lingua valet.
Muſſoniæ metra ſufficient facunda ſorores,
Et Logodædaleis verba voluta labris.
Quæ mora vos? placet alterna lugere Thalia,
Sunt hæc Peligno fata canenda pede.
Aut ſi carmen erit Peligno triſtius vllum,
Promite, ſunt triſti, triſtia flenda modo.

THEMIS SAMMIELLANA.

QVanto clades grauiore cadit
Impete, tanto grauiore ſono
Deflenda venit. Plangite Lothari:
Gemitu crebro vapulet æther:
Littora triſti reboent queſtu:
Lugubre ſonet flebilis Echo,
Tanti nequeo ſola, parentis
Pheretro meritos reddere planctus,

Mihi cede tuam Troiane puer
Imbrifer vrnam: quo ſit lachrymis
Vnda perennis, ſuffice roſeos
O Naïadum turba, liquores.
Sed nec toti ſatis eſſe queunt
Fontes; madidos diffuſa ſinus
Riget ipſa Thetis. Proh dolór! vnum
Decus Auſtraſiæ, tutela mei,
Pariterq́; parens, fato cecidit
Carlus acerbo.
Lachrymas lachrymis miſcere iuuat,
Dum te raptum Carole flemus.

MINERVA MVSSIPONTANA.

QVisquis tumidum Nerea ſulcat;
Quamuis fragili fluitans ligno,
Pede vix vno à funere diſtet:
Se tamen audax credit pelago;
Dummodo puppem Typhis teneat,
Flectere dubias doctus habenas..
Non Threïciæ flabra procellæ,
Non Oleniæ ſidera Capræ

Timet, aut Siculi monſtra Pelori.
At ſi tumida bulliat ira
Amphitrites mobile regnum,
Et rectorem puppe ſedentem
Fundo vaſti gurgitis hauſtum,
Faciat ſalſis ciuibus eſcam.
Tunc ante oculos pallida oberrat
Mortis imago, iam ſe miſerum
Rhadamantææ deuouet aulæ:
Cruda laceſſunt vulnera pectus,
Animum curis, ſpes nulla leuat,
Non ſi gemini proſpera fratres
Sidera, ſummo radient velo;
Non ſi vario nubila lymbo,
Pingat roſei fulgure vultus
Hyperionio ſanguine cretus.
Non ſi ſumma caput attollens
Nereus vnda, ponat tumido
Fræna profundo; ni nouus aluum
Dirigat alto marmore Rector.
Mecum caſus lugete meos,
Mea Muſſoniæ turba ſorores:

Tundite crebris pectora palmis,
Libera paſſis date flabra comis:
Vngue madentes lacerate genas:
Pullo fluitet ſyrmate palla.
O ſors! Typhis Lotharius cecidit.
Alto fati gurgite merſus
Typhis quo non certior alter
Regere incertam per vada pinum.
Typhis doctus pernoſſe maris
Tumidos alta motus ſpecula;
Typhis quem non ſcopuli fugiant.
Thetyos ima parte latentes:
Vnaque noſtri tutela iugi,
Pariterque parens fato cecidit
Carlus acerbo
Lachrymas lachrymis miſcere iuuat:
Dum te raptum Carole flemus.

THEMIS.

EGo miſſa polis Principe tanto;
Priſcum veni, reparare decus;
Iterúmque auro fingere ferrum.
Lotharis ſedi finibus hoſpes.

Carli blando ſuſcepta ſinu.
Ergo Lotharis efferre pedem
Cogor, & alijs figere terris?
Iam tot luſtris prodiga in omnes,
Manibus fudi munera plenis;
Antehac merito culta decore,
Men' iam Lotharo migrare ſolo?
At men' Lotharo remanere ſolo?
Quando cecidit tutela mei,
Pariterque parens cecidit fato.
Carlus acerbo
Lachrymas lachry. &c.

MINERVA.

EGo cum varijs pellerer oris,
Mihi Muſſonio vertice fixi
Commoda doctæ tecta cateruæ,
Allecta tuâ Carole famâ.
Vmbone tui ſemper amoris
Illæſa, nouos genui fœtus.
Queis iam Lotharum gloria paſſis
Latè pennis, diffuſa volat.

Quot Neſtoreæ flumina linguæ
Mœſtos adimunt corde dolores?
Populi ſedant voce procellas?
Dant nectarea iura ſuadæ?
Auſpice Carlo, gremio foui?
O ſors, cœptis inimica bonis!
Quæ ſperaſti commoda, firmum
Mihi ſi raperes clypeum? cuius
Mole tegebar? raperes almum
Iubar Auſtraſiæ? raperes Pindo
Charum infauſtâ morte parentem?
Ergo noto culmine cedam?
Nullaque poſthac me turba colet?
Quin ergo mea ſede manebo
Quando pindi tutela mei:
Pariterque parens cecidit fato
Carlus acerbo
Lachrymas lachry. &c.

THEMIS.

IAm Gramineis, humus eximijs
Decus ſenas, fronti impoſuit

Flaua coronas, ex quo Lotharus
Carlo optarat rectore frui.
Verum tenero dextra vigore,
Nondum poterat prehendere clauum
Ætas; animum roburque dedit,
Matura tibi tunc quo timuit
Turbine mergi? quas non riſit
Sponte procellas Martis acerbi?
Non ſi fundo mare ſubſultans,
Et caua circum littora, crebro
Vnde afflictu, colligat iras:
Non ſi Zephyro Nothus, aduerſa
Fronte occurrens; Euruſque Auſterque,
Horrida Nereo bella minentur:
Non ſi rupto monte, ſolutis
Thracum furijs, tota hyppotadis
Jntremat ædes: me tremor habeat,
Dum tu noſtras flectis habenas.
At me miſeram dum tua gratus
Recolo, miſeram cladem recolo:
Qua te nobis funere rapto
Jnfœlici ſorte iacemus.

Tamen, hic aude promere queſtus
Minus eſt planctu pectora tundi:
Minus, immenſum creſcere luctum,
Tua quàm lingua tegere immemori
Dona: doloris pullulat anſa.
Lachrymas lachrymis miſcere iuuat
Dum te raptum Carole flemus.

MINERVA.

O Auſtraſiæ ſublime decus!
Quis, non ſtupuit, quantâ rexeris
Pace colonos, circumquaque,
Spumante graues Marte furores.
Vndique rauco Bellona ſono,
Triſte tonabat; feruidus inde
Rapido, Mauors enſe furebat
Qua nempe patet francica tellus,
Hinc ſequanidum fine fluebant
Mirata ſuos flumina fluctus,
Tyrio paſſim murice tingi,
Dum ſudaret Martius horror:

Hinc germanæ turbo procellæ
Noſtro capiti proximus aſtra
Mole petebat. Tamen intacta
Pace, ſuperſtes ſtetit Auſtraſia;
Inter tanti fulmina belli.
Tua nos Princeps dextera, texit:
Tua nos texit Carole, virtus.
Lachrymas lachrymis miſcere iuuat;
Dum, te raptum Carole, flemus.

MINERVA.

TV pace tuis, nouus Auguſtus.
Dirum mérita compede Martem
Et Threiciæ furias, ore
Poteras clauſo ſtringere Iano,
At, ſi quando perfidus hoſtis,
Impulit altam rumpere pacem,
Tum te Lotharum ſenſit Achillem.
Inimica phalanx; ſed eheu; neque te
Martia virtus, neque pacis amor,
Potuere, necis ſoluere lege,
Lachrymas lachrymis, &c.

GODEFREDVS AD MINERVAM SAMIELLAN.

IT procul, procul infeſtis liuentia palmis
Pectora tundentes, hinc procul ite manus,
Nempe placet deflere ſonis vlulantibus, illum
Quem, fœlicem animi ſuſpicit aula poli.
Fallor? & Aligerum, medius ſtipante caterua,
Huc hilares hilaris conglobat ipſe pedes.
Conglobat, agnoſco, greſſum huc mea chara propago,
Vocibus, indigetem ſuſcipe clariſonis.
Carmen ego, cunctiſque modos, dux ipſe præibo,
Dicenti tantùm lingua animoque faue.

IDEM AD CAROLVM.

SAlue cæruleis mecum qui dignus olympi
Effulgere thronis, diuúmque intrare penates,
En tibi quæ multos dudum ſudata per annos,
Prendere ſydereis, ſperaſti præmia palmis.

En ma-

En manibus noua ſceptra tuis, noua purpura collo
Texitur, & capiti, flammantibus vndique gemmis
Conſeritur, diadema tuo: vaſtiſſima mundi
Pro Lotharis te regna manent: non vlla beatos
Excipient tibi fata dies, ſed munere lætus
Æthereo, mecum angelicis iungere cateruis.
Æternumque graui venerabere numen Olympo.
Hæc tibi per varios terris exercita caſus
Dona parit virtus, exantlatique labores.
Hunc tantum ſeruata ſolo tibi iunget honorem
Relligio, rutiliſque beat tua tempora tænis.
Non te degenerem, noſtris virtutibus ætas
Flammifero ſub ſole tulit, tu noſtra ſecutus
Fluctibus in medijs recto veſtigia calle,
Hæſiſti ſuperum monitis, furiatáque prudens
Miſſa Acherontæo calcaſti iuſſa profundo.
Et quam fulmineis quondam violentus in armis
Inuexi per regna fidem Nabathæa, frementes
Emenſus pelagi ſcopulos, fluctuſque ſonoros,
Te duce, te longa populos ditione tenente,
Vidimus intactam Auſtraſius ſplendeſcere regnis.
Erupit Stygio quoties ſuccincta flabello

Hæreſis, & tetris horrenda incendia flammis,
Vicinas Lotharum vomuit bacchata per vrbes,
Hanc toties nutu ſuperum, cœloque fauente,
Teutonicas remeare domos tua dextera bello
Compulit, & longè patrijs abſiſtere terris.
Nos, Mahumetanis olim certamina turmis
Intulimus, fideique viam, ferroque manuque
Fecimus, & vaſtas crebro ſubuertimus vrbes
Ariete, nos ſacra quondam delubra Syonis,
Infandis polluta ſacris, ſcelerumque profunda
Illuuie, ruptis vario certamine muris
Cæpimus, & tota ſtrictis mucronibus vrbe,
Sacrilegam rapido gentem demiſimus Orco.
Tu pariter duo Tartareis effuſa cauernis
Monſtra, per humanos virus ſpargentia mores,
Caluinum, & rabida bacchantem voce Lutherum
Sæpius infenſis fudiſti in tartara ſignis.
Ergo age, cui licuit noſtros æquare labores,
Vtere iam paribus mecum ſuper æthera donis.

RENATVS.

CHare nepos, noſtri cuſtos fidiſſime regni,
Quas tibi ſollicito pendam pro munere grates?
Quos plauſus? quæ dona tibi? quæ munera promã,
Excubijs æquanda tuis, duroque labori?
Fœlix Auſtraſia, fœlix te principe regnum.
Fœlices populi, qui dantem iura per vrbes
Te ſenſere ſuas, aut æquis ſceptra gerentem
Legibus, illorum nunquam prædator anhelans
Hauſit opes, nunquam trepidis diſcordia tectis
Irruit, infandos miſcens veſana tumultus.
Tu mitis placida populos in pace regebas,
Per te cornigeris perrumpunt arua iuuencis
Agricolæ, per te latis ſeges horrida campis
Flauet, & ingenti trepidantia complet acerno
Horrea, ſecuræ dependent vitibus vuæ.
Pax Lotharum viget alma iugis, pax vallibus imis
Inſidet, & plano ſe fundit in æquora tractu,
Hanc ego Nanceiæ quondam ſub mœnibus vrbis,

Sanguineis peperi maculis; & Marte cruento,
Sed decus eſt tenuiſſe, tuum; quæſitaq; ferro
Fœdera, perpetuis iunxiſſe in ſecula nodis.
Pro quibus haud ramum acccipies viridãtis oliuæ,
Non tua gramineis cingentur tempora vittis:
En tibi ſidereis compacta corolla Pyropis;
En ſolium rutilans gemmis, auroq; ſuperbum.
Hæc pacis pro pace feres tutiſſima cœlo
Munera, & æthereis ſemper ditabere regnis.

STEPHANVS. 7.

TV quoque carminibus Princeps celebrabere noſtris,
O decus, & noſtri flós ſanguinis: vt mihi pridem
Expectatus ades, vt te poſt longa receptum
Tempora, poſt varios belliq; æuiq; labores
Accipio, amplectorq; libens: iuuat vſq; propinquũ
Compellare ducem, atq; optatos cernere vultus.
Quam metui ne te deprenſum in gurgite vaſto
Tartareæ peſtes, Erebiq; immania monſtra

Incautum obruerent, vel ineluctabile carnis
Frangeret obſequiũ, aut miſeræ mala gaudia mẽtis,
Aut falſa eluſum premeret ſub imagine mundus.
Qualis vbi infremuit ventis ſtridentibus æquor,
Nauis in incerto eſt; paſſimq́ furentibus vndis
Abripitur, celſa ipſe ratem de puppe gubernans
Hæret, & ancipiti trepidat formidine rector.
O quoties ſæua iam iam impendente procella
Indolui, gemitusq́ pio de pectore ducens
Eripui, charũ precibus caput! & mea nunquam,
Irrita ſolliciti ceciderunt vota parentis,
Viciſti tamen, & poſt tanta pericula feſſus
Optatos cernis portus, ſecuraq́ carpis
Otia; iam vitæ compos, iamq́ ipſe daturus
Auxilium, queis æger adhuc ſub luce maligna
Spiritus, & fragili penitus compage tenetur.
Quanquã egomet credebam animo, nec ſecius iſtud
Sperabam; nec me virtus tua Carle fefellit,
Nec patria exhauſti pro relligione labores.
Vidi etenim, cum tu fœdâ iam nocte ſepultum,
Squallentemq́ ſitu priſcæ pietatis honorem
Erigeres; quem Caſſini ſuper ardua montis,

Nurſicus inſtituit nobis, & tradidit heros:
Plaudentes ſuperos, ipſumq́; ante omnia Regem
Aſpirare tibi placidaq́; ita voce profari
Macte noua virtute ſenex, tuq́; optime Præſul
Purpura cui corpus, bifido cui vertice crinem
Mitra tegit, cœptis qui patrem ingentibus æquas.
Vos ego communi ſociatos fœdere, iam tum
Accipio, & tanta cœlum pro laude paciſcor.
Aſſenſere omnes ſuperi. Tum ſanguine vobis
Iunctus ego propior quem cura, vetusq́; manebat
Caſſinæ tutela domus (clamq́; illa benigno
Exceptum gremio Romana ad ſceptra remiſit)
Tempora perſtabam memorans, memoriq́; premebã
Fata animo reputans, donec iam morte ſolutos
Tranſtulit omnipotens, promiſſisq́; intulit aſtris.

PHILIPPA GVELDRIÆ.

NEc te ſuſpiciam ſanguis meus? ætheris alti
Incola, cœlicolum frater, & Aligerum?
Fœlix, ô animi fœlix, quem noſtra ſequentem
Illexere vias acta, per æthereas,

Non hominum Diuumq́ fauor tibi pectora faſtu
Aduerſum tumido conciјt innocuos.
Non fortuna domus, tua non te facta per artes
Egerunt Stygias, damnaq́ toxifera.
Tu veluti ſi nulla foret tibi cauſa nocendi,
Illecebras inter tempora purus agis.
O documenta orbi, documenta minoribus; vnde
Virtutem, in longa poſteritate trahant.
Ergo ades, & noſtris adiungere Carole turmis,
Æqua feres nobis præmia, par meritis.

TVMVLI.

PRIMVS.

CAroli hic eſt tumulus, potuit virtutis & eſſe,
Vllus virtutem, ſi caperet tumulus.

SECVNDVS.

CAROLVS LOQVITVR.

QVid mihi Sandapilam Dryades? quid robora ſummis
Vecta iugis, noſtros quæritis ad loculos?

Vrna mihi eſt virtus, titulos dant facta, miniſtrat
Ornamenta loco patria nobilitas.
Membra nitẽt tumulo, tumulũ nec mẽbra tenebris
Occæcant, virtus has fugat, illa piat.
Non lædit loculus, non cippus, cur ita? virtus
Vrna mihi, cippus regia tecta poli,

TERTIVS.

NAnceiana polo ſurgentia mœnia, per te
Nobile ſtant Caryroboris inſtar, opus.
Adycis his, ludos, Phœboq; ſacraria Muſſi,
Et meritis ſtabunt præmia nulla. tuis?
Stabunt, nam tibi Mars, tumulũq; nouena ſororũ
Turba dabit, tumulum relligione ſacrum.
Marmora Biſtonius, lateriq; hærentia ponet
Arma, decus tumuli, verbaq; Phœbus amat.
Quæ ſi nulla dies, non tollere ſæcula poſſunt,
Iam dormi, tibi nam Carole, facta quies.
Facta quies, vndis tua Sol vocalibus, illinc
Murorum Mauors aggere facta canet.

QVARTVS.

ANGELVS CVSTOS ET VIAtor colloquuntur.

VIATOR.

TEne etiã frater, propè contuor Aliger? & te
Terra tenet, frugis neſcia terra ſacræ?
Fare age, quæ longũ cohibent te ſancta morantem
Iuſſa? Ang. *Dei.* Via. *Tantum?* An. *relligioq́ſuper.*
Nam me funereo tangunt modulata ſonore,
Inq́ſuis placidè membra repoſta locis.
Via. *Nempe Deum? Diuoſq́ polo tenet vlla iacentũ*
Cura? Ang. *tenet.* Vi. *ſic tu tã bona verba?* An. *bona.*
Via. *Sed per ego doteſq́ tuas, animiq́ calentis*
Oro faces, ſedẽ hanc quæ tenet vmbra? An. *Ducis*
Quem Nymphæ fractis functum gemuere ſuſurris,
Luctiſonis Phœbus, Pierideſque modis.
Deflerunt Nymphæ formam, Muſſiq́ camœnæ
Patrem, Cyrrhæi ſpemque, decuſque chori.
Ino membra, Thetis radiantia lumina cœlo,
Et ſparſas veneres per labra, perque genas.

Lactea crura piæ Charites lauêre, iacentis
Pectora, Phorcynis pignora bina Deæ.
Incluſit Diana artus, ſepſitq́; cupreſſo,
Flora ſuas ſpecies, & dedit illecebras.
Sed mentem cœlis ſuperi ſtatuêre, beatam
Excepere Duces, omine multiſono.
Me quoque, terra ſuo ſtabilis dum pondere ſtabit,
Cuſtodem voluit corporis, eſſe Deus:
Quin bona verba, æqui ſi te bona cura remordet;
Hortorum Elyſias ingere diuitias.

QVINTVS.

Carolus & Viator colloquuntur.

Car. *QVo celer? & rigido rigid⁹ te pectore? Manes*
Sic tacit⁹? tumulo nec bene durus aues?
Via. *Quo pretio?* Car. *Maiore animo, requieſcit in*
Lædere Caluini quem nequiere faces. *(vrna hac,*
Via. *Macte nec igniuomæ purũ Phlegetontis arenæ*
Te poſthac teneant, implicitumque premant,
Addo preces, tibi terra leuis, tibi defluat vrna.
Ambroſia; ambroſius manet & vſque fluor.
Da pretium. Car. *Mora nulla, humilis tumefacta*
Pectora crede Deo, nil tibi, cuncta alijs. *(remulce*

Dilige neſcirii, nouitatem reſpue, forti
Caluinum fortis ſic premis ipſe gradu.
Via. *Conſcia factorum mens grãdia ſpirat, anhelam*
Siſte. Cat. *Homines, libros & fuge peſtiferos.*
Artibus his cœlos inſcendi; nec mala noſtros
Caluini tabes attigit Auſtraſios.
Via. *Macte iterũ, tibi ver violas, tibi roſcida odores*
Tellus, Idalias germinet vſque roſas.
Vſque tuis ſit, & vſq; vmbris requieſq; iocuſque,
Nec grauet hic Manes indita terra tuos.

SEXTVS.

Quo deſignatur cum anno menſis,
quo obijt Carolus.

FLore vIrebat hVMVs fLos aLtæ CaroLVs aVLæ,
NaſCItVr; en aſtro hoC aXIs Vterq; ſtVpet.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ
Εἰδύλλιον.

Αἰάζω τὸν Κάρλον: ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Αὐστρασίης μέγα κῦδος ἀπώλετο. Ἄρχετε Μοῦσαι.
Ἄρχεται νῦν πυκινῇσιν ὀδυρόμεναι στοναχῇσιν
Τοῖον γὰρ πατὴρ ἄμμι, καὶ ἀθανάτοισιν ἀγαστὸν
Μοῖρ' ὀλοὴ ἐκάλυψεν, ὅς ὑμῖν ἤπια εἰδώς.
Ἶσον καὶ ψυχῇ, καὶ ἑαῖς φιλέεσκεν ὀπωπαῖς.
Ὅθ' ὑμᾶς ποταμοῖο παρ' ὄχθαις καλλιρόοιο
Στῆσεν ἄγων, καὶ ναὸν ἐδείματο, ἐν δ' ἄρα τούτῳ
Πλαζομένας ἐκάθισσε, πορὼν ξεινήϊα πολλά.

Αἰάζω τὸν Κάρλον. ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Οὗτος καὶ βασιλεῦσιν ἐν αἰχμηταῖσιν ἄριστος
Ἐν δὲ θεμιστοπόλοισι μετέπρεπε. Τόσσα δ' ἁπάντων
Φέρτερος, ὅσσα πίτυς δάφνης καθύπερθε τέθηλεν,
Ἢ θάμνος ῥαδινῇσιν ὑποκλήσασ' ἐλάτῃσιν.

Αἰάζω τὸν Κάρλον. ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Οὐ κείνου ζώοντος ἐπέχραε θύελος Ἄρης:
Οὐδὲ πόλεις μινύθεσκον ἀπολλυμένων αἰζηῶν.
Οὐδ' ὥς πρὶν κακόπιστος ἀνὴρ, μέγα νεῖκος ἀέξων
Λωβᾶτ' οὐλομένοισι παραπλάζων φρένα μύθοις
Οὐκ ἔρις ἦν, οὐδ' αἷμα, καὶ ἀργαλέη στάσις ἀνδρῶν
Κὰδ δ' ἔχεν εὐνομίη πόλιας, γελόωσα δ' ὕπερθεν

Σιρζώη βαθύπεπλος ἀπείρατον ὄλβον ἔχευεν.

Αἰάζω τὸν Κάρλον. ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Τοῦτον μὲν κρῆναί τε ἄλσεα πυκνὰ θανόντα,
Καὶ ποταμοὶ ὀλόλυξαν, ἰδ' οὔρεα μακρά, καὶ ὕλαι
Βουνοί τ' ἔκλαυσαν πολιπίδακες, ἠδὲ φάραγγες
Πέτραί τε γλαφυραί, καὶ, δένδρεα τηλεθόωντα.
Καὶ Νύμφαι, καὶ, Πᾶνες ὀρέστεροι. ἔξοχα δ' ἄλλων
Φοῖβος ἄναξ θρήνησεν ἀποφθιμένου βασιλῆος,
Ἄμμιγα Πιερίδεσσιν, ἐπεὶ φίλος οἴχεται ἀνήρ.

Αἰάζω τὸν Κάρλον. ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Τοῦτον δ' ἀναλέοισι καθεζομένη ἐπὶ δένδροις
Ἔνθα τρυγὼν λιγέως κατοδύρατο, ἔνθα δ' ἀηδών.
Καὶ φᾶσσαι, καὶ χλωραὶ ἀκανθίδες, ἤτε χελιδὼν
Καὶ κόρυδοι, γοεραί τε πελειάδες. ἐν δὲ καὶ αὐτοῖς
Τέττιγες λαλαγοῦσαι ἐπιθραίσκουσιν ἀλωαῖς.

Αἰάζω τὸν Κάρλον. ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Ὡς δ' ὄρνις ἀπαλοῖσιν ἐπιστενάχεται νεοσσοῖς:
Ἵπταται, οὓς ἀπτῆνας, ἐῆς ἔντοθε καλιῆς
Δεινὸς ὄφις κατέμαρψε, θοοῖς δ' ἐπέρησεν ὀδοῦσιν
Ὕστερον οὐκ ὄψεαθ ἐπεὶ οὐκέτι ζήσεται αὖθις

Αἰάζω τὸν Κάρλον. ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Εἰ δ' ἄρα νῦν τύμβῳ ἐπιπάσσειε ἄνθεα πολλὰ

Μαψιδίως κλάζοντας, ἐπεὶ νύ τοί εἰσιν ἄναλκις
Ὡς οἱ ἐπὶ φθιμένῳ στυγερὴν γηρυόμενοι αὐδὴν
Πότμον ὀδυρόμενοι, ὃ καὶ ἐψιγόνοισι μελήσει.
Αἰάζω τὸν Κάρλον. ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Νῦν ποταμοὶ ἄψορρον ἰὼ ποτὶ παγὰν ἵκοιντο
Ἥλιος δ' ἐστραφθεὶς εἰς τούμπαλιν ἄμμι δεδύκοι,
Ἐν δ' ἁλὶ πῦρ δαίοντο, καὶ ἐν πυρὶ ἀγλαὸν ὕδωρ
Ἰχθῦς δ' ἐν θάμνοις, ἔλαφοι δ' ἐπὶ κύμασ' ἔροιντο
Λείρια μὲν σκόλυμος, ῥόδα δ' ἄπιτυς αὖθις ἐνείκαι
Καὶ πικρὰ ἡδέα τ' ἄψα, καὶ ἡδέα πικρὰ γένοιτο
Μιχθείη δ' ἅμα πάντα, ἐπεὶ θάνε Κάρλος ἀμύμων
Δεῦτ' ἄγετ' Αὐσάσιοι, θεῖον γένος οἷσι μάλιστα
Ποιμένος ὀλλυμένοιο θεόθεν μέγα πένθος ὄρωρεν
Αἴλινα κωκύσατε, καὶ ἣ νόμος ἐστὶ θανοῦσι
Κρατὸς ἀφ' ὑψηλοῦ προθελύμνους ἕλκετε χαίτας
Καὶ στῆθος κόπτεσθε, καὶ αἱ μάστεσι παρειάς.
Αἰάζω τὸν Κάρλον. ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Ὃν μὴν ἔτ' ὄψεσθε χρυσοθρόνου ἔνδοθεν αὐλῆς
Ἠ λόχος κείνοντα μάχην ἐπὶ δηιόεσσαν
Γαῖαν ἐς ἀλλοτρίην, ἢ καὶ θήραν δὲ κιόντα,
Κνημοὺς ἐξερέοντα, σὺν ἐσσυμένοισι κύνεσσι
Ἢ δίκης κατὰ θρῆξιν ἐπιστρωφῶντα πόληας

Πάσσετε ἄνθεα πολλὰ, τάτ' εἴαρι καλὰ φύονται
Καὶ θάλλοντα σέλινα, καὶ εὔπνοον ὗλον ἄνηθον
Καὶ ῥόδα, καὶ Νάρκισσον ἰδ' ἐκρίνον, ἠδ' ἴα λευκὰ
Καὶ κρόκον, ἑρπυλλόν τε, θύμου τ' εὔοδμον ἐθείρην
Ταῦτα δ' ὁμοῦ παλάμαις ἐπαμήσατε ἀμφοτέρῃσιν
Κόσμον ἐπὶ ψεκάζοντες ἐγειρομένῳ ἐπὶ τύμβῳ.

Αἰάζω τὸν Κάρλον. ἀπώλετο Κάρλος ἀμύμων
Ἠΰτε δ' ἐπρώνους ἀπὸ γηλόφου, ἢ ἀπὸ πέτρης
Πίδακος ἀενάοντος ἄπος ἄζει μέλαν ὕδωρ:
Η ὡς θρηϊκίοισι χιὼν κατ' ὄρεσι χυθεῖσα,
Εἴαρι τηκομένη μεγάλους πίμπλησι χιμάῤῥους
Οὕτω δάκρυα θερμὰ ἀποιχομένοιο ἄνακτος
Βάλλετε νῦν κρουνηδὸν, ἐπεὶ θάνε Κάρλος ἀμύμων
Καὶ φάτε νῦν μὲν Κάρλε κόνις, καὶ τέφρα τὸ λοιπὸν
Κείσεαι. ἀλλὰ σέθεν μάλα εὐμενέως θανόντος
Γαίῃ σῶμα κύθοι, μαλακὴ δ' ἐφύπερθε γένοιτο.
Ἐν τ' ἴα λευκὰ φύοιτο, καὶ ἀνθεμόεσσ' ὑάκινθος.
Ψυχὴ δ' ἀθανάτων μεθ' ὁμήγυριν ἰθὺ φέροιτο
Ζωῆς ἀντιάσουσα, καὶ ἡμῖν ἦρα φέρουσα
Ἄμμες δ' ὕστερον αὖτε περιπλομένων ἐνιαυτῶν
Πολλάκι σῆμα τεὸν κοσμήσομεν ἀντιόωντες
Δάκρυσί τε στυγεροῖσι, καὶ ἄνθεσιν ἤλιθα πολλοῖς

LACHRYMÆ HENRICI.

SIt pudor, heu! tanto luctus in funere Princeps
Caſtigare tuos, & flẽdi ponere leges.
Flebis inexpletum, flebis: non pectora planctu
Non lachrymis ſatiate genas, non queſtibus ora.
Ecquis enim modus eſt? hem Carole, Carole, noſtras
Spernere te terras? hæc nobis frigida fatum
Membra, heu! mœſta nimis ſolatia linquere, & alti
Ætheris in campos, & regna volaſſe piorum
Perpetuo meditata tibi? ſic noſtra repente
Luce tua viduata, tuoque exterrita caſu
Limina deſtituis? nec te reuocare tuorum
Flebilibus tua fata modis votiſque ſequentum
Poſſe preces? hoc ius hæc tanta potentia fatis?
Nec Catharis vittis & frontis honore ſoluto,
Omnia perluſtrans nudis altaria plantis,
Hoſtiles fati volucris tardauerit alas?
Non tibi Dorotheæ gemitus, nec lumina gentis
Clara tot Auſtraſiæ, matreſque, nuruſque volanti

Iniecere moras? Non hæc tam ſancta parentis
Ora rigans lachymis, ſupremaq́ frigora lambens,
Mobile par fratrum, deſolatique penates,
En tota inſano rumpens ſe regia luctu,
Nec vis vlla feræ potuit ſubducere morti?
An magis hoc viſum ſuperis? & numina fatis
Submiſiſſe nefas. Fatis accedere verum eſt,
Sed mandante Deo, longæ qui ſtamina vitæ,
Dum libet, æterni mutat cum munere ſecli.
Parendum eſt, Henrice, Deo: non vlla poteſtas
Parendi, ſine lege fuit, nos flere neceſſe,
Elyſias gaudere domos; hic agmine nigro
Ibimus, ille alio niueus procedet amictu.
Gaudia ducetis ſuperi, tu gaudia cœlo
Carole; noſtra ſuos poſcunt hic vulnera luctus.
Maſte pio gemitu: tua te Lotharingia totis
Vrbibus, atque agris, ſupremo, Henrice, ſequetur
Officio, meritoſque patri tecum omnis honores
Perſoluet lachrymis ætas, & ſexus & ordo,
Certant æra ſonis, vlulant clamoribus alta
Atria Diuorum, vacuis numeroſa ſepulchris
Cerea flamma nitet, veroſq́ altaria cultu

Multa gemens properat votis celebrare ſacerdos
Rore pio maduere viæ, miſcere ſacratis
Vndiq; cum lymphis fletus lamentaq; cunctos
Ardor habet, ſitis vna omnes fixos licet alto
Pectore, ſidereos oculis & cernere vultus
Ductoris; poſt fata ſui reuerentia viuit,
Viuit amor, feruentq; pijs præcordia curis.
Pande fores vrbs alta tuas, noua mœnia pande:
Plebs effuſa ruit, ſua plebs ſpectacula poſcit,
Atq; ſuas fletus partes: Iam funeris ingens
Pompa fluet: tædis iam lucent compita: mutus
Hinc dolor, & longa verrens veſtigia palla
Præcedit luctus, mœſtæ hinc ad ſidera voces,
Nec tantum Auſtraſiæ voces: en quale gementis
Liligeri ſtudium ſceptri? vel quæ tua ductor
Maxime Boiorum pietas? vel Mantua quid te
Auſtraſijs memorem thalamis, vel Hetruria fœlix
Cliuiaq; & magni cunctos è partibus orbis
Excitos fama proceres? non ſola Moſella
Non Rhenus, non lentus Arar, non agmine mœſto
Sola Moſa ingentes vehet in penetralia fletus,
Orbis amor lachrymas poſcit ſibi Carolus orbis.

Cerne patrum gemitus plebs, cerne & brachia matrum
Diſciſſoſq́ſinus, & nulla lege capillos,
Quam placet officium, flendi tibi quanta voluptas!
Nec ſatis illa tamen. vultus, ah! ne tege totos
Cernere da vultus Henrice, & lumina guttis
Humida ſydereis, quanquam tua funere tanto
Collucet pietas; in te magni ora parentis
Fas Henrice tamen, fas poſcere pectoris almi
Relliquias, dubio morientis murmure linguæ
Efflatas, Henrice, tibi, non lucida ſacros
Marmora, non doctæ referet ſic linea ceræ
Æraq́ ſic vultus, quantum tua reddere poſſit
Frons dilecta tuis, radiataque lumina cœlo.
Parce tamen nimijs tantiſper, ſedula parce
Plebs ſtudijs, alio ſpectabis tempore vultus:
Nunc animum patriæ vidiſſe in munere pompæ
Sit ſatis Henrici. Quam multo ex hoſte trophæa,
Quam diues truncus ſpolijs! en rore madentes
Sanguineo criſtas, rutilo en ſpectabis in auro
Terrarum titulos, ſpectabis ſtemmata, & armis
Auſtraſios verſis equites, humentia guttis
Bellatoris equi ſpectabis grandibus ora,

Lumina ſpectabis procerum, longiſque maniplis
Diſpoſitas plorantum acies. luget ſua quiſque
Dum patriæ flet damna ſuæ, non aduena ſiccis
Stare genis, magnumque poteſt non flere parentem.
Iam feretri procedet onus, ſpectare petitos
Iam dabitur vultus, iam pompæ nigra ſequentis
Agmina, & Henrici ſparſos per nobile munus
Exequiale animos, affixáque corda parenti.
Nec tumuli dubitatus honor, ſpirantia cerno
Marmora, Idumæis æquatáque bella triumphis.
Hic labor, hic duris virtus bene cognita bellis
Iuſtitiæque comes pietas, cultuſque vetuſti
Cura vigil, conſtanſque pijs reuerentia ſacris,
Ilicet horrendis aſſultans infremet alis
Hæreſis, & tortas euoluet marmore ſpiras,
Dira minans, cœloque infandum ducere ſtellas
Auſa ferox, totoque ferens contagia mundo.
Ac tibi victa, tuis exactáque finibus amens,
Carole det gemitus, nec ſegnius altera dextræ,
Barbaries ſubſtrata tuæ, dolet ecce volantes
Ad tua Pierio deductas culmine muſas.
Hæc tumulis, Henrice, dabis, nam cætera noſtræ

Dicere non opis eſt, huc ſparges latus Eoa
Germina Corycium, & caſias, & balſama veſtris
Miſſa iugis, noſtra exiguos huc Nænia flores,
Libáque, funereis feret officioſa querelis.
Viuet amor, viuetque dolor, mirandáque rerum
Gloria, perpetuos referens in carmina ſuccos.
Iſta tibi quondam: nunc ſacras Carole ab aſtris,
Henrici lachrymas, atque vltima ſuſcipe vota.
Salue ſupremum, pater ô mitiſſime, ſalue,
Supremumque vale. librato pondere lenis,
Oſſa tegat Tellus, quæ viuo ſemper amata eſt,
Illa tibi cœlo detur pax, illa ſepulchro.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ
ΗΧΩ ΔΙΓΛΩΤΤΟΣ.

Ηχὼ ἠνεμόεσσα, ποίῳ ἐπὶ χρήματι τόσσον
Εἰκὸς ἐρημαίων καπλέμβυαί σε; *Nicr.*
Αλλ' ἄγε εἰπὲ τὸ σόν δε τίνι γόον ἀμφὶ ἀΐζεις.
Μέρσιμος εἰς Αδου ὃς κατέδυσε; *Duce.*
Αυστρασίης μῶν Κάρλος ἀπώλετο φαίδιμος ἄρχων.
Αὐτὰρ ἐγὼ τούτου εἰσέτι ναῖς; *Ais.*
Η καὶ ἐν ἀλλοδαπῇ ἢ ἐῇ ἐνὶ πατρίδι γαίῃ
Ην, ὁπότ' ἐξ ὑμῶν οὗτος ἀπαίρατ'; *Erat.*

Θνητὸς γάρ τις ἔην· σὺ δ᾽ ἐπεὶ θάνεν, οὐδέ τι μῆχος,
Δάκρυσιν ὄμμα σέθεν μηκέτι σῖνε. *Sine.*

Εἴ τι πλέον τί συ Νύμφα μάτην θρηνοῦσα γένοιο,
Πλὴν εἴ τῳ δοκέοις ἡ δυέπεια; *Pia.*

Ἀλλ᾽ ἐπεὶ ἡ μάκαρ ἐστὶ, σὺ δ᾽ ἴσχεο, μήτις ἀκούων
Εἴπῃ, τίπτ᾽ ἀδικεῖς; σῖγα βέβαλε. *Vale.*

ΘΡΗΝΟΣ ΤΗΣ ΛΟΘΑΡΥΓΓΙΑΣ ΕΠΙ τῇ τελευτῇ τοῦ Καρόλου, τοῦ ἑαυτῆς ἡγεμόνος.

Γυαὶ πυροφόροι μέγα κλαίετε, κλαίετε ἄλση,
Μοῖραι Αὐστρασίης ἥρπασαν ἡγεμόνα.

Κλαίετε ἡ δυεπεῖς Λοθαραίων. κλαίετε Μοῦσαι
Κάρολος ὑμείων καρδία, φροῦδος ἔβη.

Κλαίετε Μουσοπόλοι, Μοικήνας ᾤχετ᾽ ἀοιδῶν,
Κεῖνον Μοῖρα φθόνῳ ἦλθε φέρουσα κακή,

Κλαίετε πάντες ὁμοῦ χειστοῦ ἀπὸ τοὔνομ᾽ ἔχοντες
Ἔμπεδος ὑμετέρου πύργος ὄλωλε δόμου.

Κλαίετε οἱ ἐσβιοι χειστῷ ξεινούμενοι οἴῳ,
Ὑμῶν, ἐκ τούτου ἦλθεν ἔρεισμα, βίου.

Κλαι᾽ ἄγε δὴ ἡ ῥακόεσσα φάλαγξ, πάντες τε μίταιται
Ὑμείων πότμῳ χρηστὸς ὄλωλε πατήρ.

Κλαίετε καὶ ὑμεῖς γε μενεπτόλεμοι στρατιῶται
 Φεῦ. φεῦ; ἀρχὸς ὑμῶν ἀρχὸς ἄειστος. ἔβα.
Κλαῖε πόλις Ναγκεῖα, πολῖται κλαίετε, ὑμῶν
 Φίλτατος ἰθυντὴρ λυγρῷ ὄλωλε μόρῳ.
Κλαίετε πάντες ὄροι μεγάλης πολυχανδέος αἴας,
 Κόσμον γὰρ φαέθων λίμπανεν ἠέλιος.
Κλαίετε ὦ βασιλεῖς ἐειχυδέες, ἔλλιπ' ἀδελφὸς,
 Αὐγλῆεν λαμπρῦ ἠελίοιο φάος,
Πέμπε ὕδωρ, καὶ κλαῖε θεῦ ὦ χαλκοβατὲς δῶ
 Οὐδὲ γὰρ, οὐδ' ἀρκεῖ δάκρυα τῶν μερόπων
Οἴ μοι, τῦ θανάτυ, τίς μοι γόος, ἄξιος ἔσται;
 Τίς δὲ λίβων πηγὴ ἄρκιος; οἷα μέλη;
Οὐ τόσσον παίδων τις ἑῶν ἐκλαύσατο πότμον,
 Ἢ τοκέων, ἢ καὶ κεεδνῆς ἀλόχυ,
Οὐ τεφρωθεῖσαν μαλερῷ πυρὶ πατρίδα γαῖαν,
 Οὐ νόσῳ χαλεπῇ ἄψεα τειρόμενα
Ὅσσον ἐγὼ Κάρολον γ' ὀλοφύρομαι ἄρτι θανόντα,
 Φεῦ, ἅμα τύτῳ ἐμὸς μικρῦ ἀπῆλθε βίος.

ΤΕΛΟΣ.

ad
146h776